



IO. MATTHIAE SCHROECKHII

HISTOR. OLIM PROFESS. IN ACAD. VITEBERG.

HISTORIA RELIGIONIS ET ECCLESIAE CHRISTIANAE

ADVMBRATA IN VSVS LECTIONVM.

EDITIO SEPTIMA EMENDATIOR ET AVCTIOR

CVRAVIT

PHILIPPVS MARHEINEKE.

BEROLINI
APVD AVGVST. MYLIVM.
cIↄIↄcccxxvIII.

PRAEFATIO EDITORIS.

Quod ad parandam hanc sextam Compendii Schröckhiani editionem ego potissimum me accinxi, non feci, nisi rogatus a Bibliopola, qui, quum exiguam tantum exemplorum copiam superesse animadverteret, hunc utilissimum libellum scholis academicis, in quibus frequentissimus eius usus est, deesse noluit. Et habet sane haec historiae sacrae perpetua adumbratio in se multam commendationem, nec laudibus nostris augendam, sed experientia et docentium et discentium innumerorum satis superque comprobatam. Quarum quidem virtutum haud minima haec videtur, quod latino sermone eodemque puro ac facili conscriptus liber est, quo nihil cum ad ingenia iuvenilia auctorum classicorum exemplis antea nutrita in scholis theologicis digne ac liberaliter excolenda aptius, tum ad res breviter ac nervose exprimendas utilius est. Ego vero quae in ador-

nanda

nanda hac editione egi, haec fere sunt. Librum b. nostri auctoris penitus commutare, rerum dispositionem non omni quidem loco accommodatissimam invertere, iudicia seculi haud raro indolem redolentia omnia tollere, nec necessarium mihi visum est nec pium. Quod quoniam fieri non posse, nisi cum totius libelli damno, perspiciebam, hac in re me continui satiusque habui, ordinem quidem intactum relinquere, iudiciorum autem, ubi uno alteroque verbo suppresso vel addito fieri potuit, acerbitatem mitigare. Praeterea ubi, quod humanum, lapsus auctor videbatur, lenem manum adhibui. Librorum notitiam multis locis auctiorem edidi. Quae ad res ipsas pertineant, in prioribus periodis, ubi consultum visum est, pauca, plura in extrema addidi. Conspectum enarrationi rerum annexum novissimae historiae supplemento ita auxi, ut nostram aetatem attingat. Quae qualiacunque ut viris doctis non omnino displiceant, nec libri utilitatem diminuant, vehementer opto.

Berolini Cal. Ianuariis a. MDCCCXVIII.

VENE-

VENERABILI VIRO

IOHANNI AVGVSTO ERNESTI

THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
CANONICO MISENENSI CONSISTOR.
LIPSIENSIS ASSESSORI SOC. REG.
DOCTR. GOETTING. SODALI.

ACADEMIAE LIPSICAE

OMNINOQVE

ECCLESIAE EUANGELICAE

HOC TEMPORE

THEOLOGO PRIMARIO

IO. MATTHIAS SCHROECKH

S. D.

Nihil prope eorum facturus venio, VENERABILIS ERNESTI, quae faciunt vulgo, qui illustrium virorum nomina libris suis inscribunt. Neque enim TE laudaturus accedo, qui satis sciam, et aliorum, et meis maxime laudibus, TE facile carere; verissimas autem a grata adversus merita TVA posteritate exspectare. Sed neque vulgatam in tali loco professionem apud TE edam, prorsus indignum esse hunc libellum, qui oculis TVIS subiiciatur. Etsi enim ex eorum genere est, qui tironibus scribuntur; tamen dispicere et indicacare, quae sit optima instituendorum eorum ratio, non est profecto nisi eorum, quos ingenio, doctrina et iudicandi acumine excellentes esse, hoc est TVI quam simillimos, agnoscimus. Eam de hoc breviario sententiam TVAM cum in illo publicando inprimis spectem: patere, ut TIBI, quonam consilio, vel potius quam fortuito natus sit, brevibus exponam.

Anni sunt viginti, ex quo in enarranda lectionibus academicis historia christia-

stia-

stiana, primum *Moshemiana* epitome usus sum, deinde *Rechenbergiana*. Vtraque, quod TV rectius me intelligis, VIR DOCTISSIME, habet non pauca, quae aut emendari, aut tolli velles: in his etiam quaedam molestiora. Numquam tamen omni illo tempore de concinnando huius argumenti libro, quamquam aptior tali instituto non occurrebat, vel levissima mihi suborta est cogitatio. Non tam facilem illam, certe leviorem gloriam, quae inde pararetur, dedignabar; quam bona quaedam propria, quibus ornare eiusmodi libellum possem, nulla in copiolis meis cernebam; ipsam autem, quae in corrigendis doctorum virorum delictis quibusdam versaretur, et docentis et discentis exercitationem, etiam utilem experiebar. Sed superioris anni per aestatem iterum praelegenda mihi fuit haec historia adolescentibus aliquot, in his et iurisprudentiae studiosis, hac quidem lege, ut sex mensium spatio summa certe eius capita traderentur omnia. Quod cum per compendiorum illorum, imo et aliorum amplitudinem non liceret: scripsi brevem de ortu et progressu religionis atque ecclesiae christianae narrationem: qua etiam utendo factum est, ut exspectationi illi auditorum satisfacerem. Nihil minus tum animo destinabam aut praecipiebam, quam illam epitomen publici iuris a me facien-

ciendam esse: et erat nisi negligentius composita, at certe festinantius. Postquam me usus docuerat, methodum, quam in ea secutus fueram, nonnihil opportunitatis, qua antea caruissem, adferre ad brevius exhauriendam a me, et minori taedio percipiendam ab auditoribus hanc historiam: coepi ex me quaerere, utrum satis illa digna sit, quam multis locis locupletiorem, omnibus autem testium fide roboratam, librario exscribendam darem. Confirmarunt dubitantem alii: accessit denique casus quidam, qui mihi hoc consilium velut extorqueret. Igitur his superioribus mensibus retractavi rudiorem illam opellam, emendavi, auxi, denique, quantum temporis angustiae paterentur, quibus circumscriptus eram, cavi, ne quid in ea foedioris labis superesset.

Periculum vides, VENERANDE ERNESTI, fiduciae exstantioris perparum; etsi caussas me habere non spernendas mutatae in quibusdam vulgaris rationis existimem. Ac primum quidem liberandos putavi lectores ab illo per singula secula eundi labore, et in se gravi, et a rerum gestarum cursu atque inter se connexione valde alieno. Praeiverunt nostris hanc viam *Centuriarum Magdeburgensium* auctores praeclari: fuitque ea vis inveterati moris, ut etiam maiorum operum scriptores nostra aetate,

quo-

quorum partes periodis definiverant, has tamen rursus ad seculorum destributionem revocarent. At mihi, nisi vehementer fallor, illa per paucas periodos descriptio etiam cognoscendi, custodiendi, iudicandique facultati multo magis favere videtur. Eamdem simplicitatis historicae legem audiendam mihi credidi in perpetuae cuiusdam narrationis cursu tenendo. Mixtum illud ex narratione, observatione, excerptis, declamatione, ingeniosa coniectandi foecunditate, imo et minutis particulis multis, velut disiecti corpusculi membris, historiae scribendae genus, quod, sapiens vetustas ignoravit, sedulo mihi vitandum duxi: atque utinam feliciter! cum illud plurimum ad corrumpendam historiam valere, plane persuasum habeam. Itaque etiam fontes narrationis, quos monstrari in tali breviario aliquanto curiosius convenit, ab ipsa, exiguo tamen intervallo, seiunxi. In omnibus brevitati studui, cum facile liceret esse copioso et diserto, praesertim in rebus ultimae aetatis. Potest fieri, ut multis iusto brevior fuisse videar; sed cum magnarum rerum et clarissimorum hominum memoriam non nimis tenuiter persecutus sim, memoria illa attigisse satis erat. Habent etiam nonnumquam annotationes, quae testibus excitandis potissimum serviunt, quasdam quasi dicendi ansas, quas prehendere, si tanti videa-

tur,

tur, licuerit. In ipsa historia tradenda cum non possem per eos, quibus operam darem, annalium catenatis nexibus inhaerere, essentque rerum memorabilium quaedam classes constituendae: curavi non modo, ut hae essent quam paucissimae, quod etiam suadebat plerorumque actorum et hominum insignium summa inter se adfinitas; verum tabulas praeterea chronologicas addidi, ut et accuratior temporum factorumque continue sequentium notatio studiosis huius historiae semper ante oculos versaretur, et eadem in repetendis memoria gestis nobilioribus uti possent.

Sed quid ego haec TIBI edissero, VIR VENERANDE, qui et has instituti mei rationes, et reliquas, eademque celeritate, quae vel probanda sint in hoc libello, vel reprehendenda, intelliges? Ego vero fateor, mihi non tam de eo dicendi, quam TVO suavissimo alloquio publice fruendi hanc occasionem quaesitam esse. Quem annorum non paucorum, coelique et loci intervalla a TE, ceterisque fautoribus et amicis meis in illa beata mihique peramata Lipsica urbe, abstraxerunt, ei veterem erga TE observantiam et pietatem non solum integram mansisse, sed plurimis etiam incrementis auctam, hoc quoque loco, profiteri aliquando solemnibus verbis liceat. Fuerunt quidem ab eo tempore

sem-

semper in hac urbe viri egregii, quorum in me benevolentia ingens illud TVI desiderium quodammodo leniret: in his princeps nuper IOHANNES DANIEL RITTERVS, e primariis amicis TVIS, et, si fas est hoc addere, etiam meis. Verum illa candidissima anima citato nec opinato cursu ad Superos evolavit, iamque sub pedibus nubes et sidera et iacentem tanta sub nocte diem nostram videt. Nunc eam iacturam abunde mihi sarcivit Vir optimus et doctissimus CAROLVS CHRISTIANVS TITTMANNVS, vere ille TVVS, cuius adventu nova lux affulsit litteris in hac Academia theologicis, et utrique cathedrae ecclesiasticae: in cuius etiam animo et amicitia hoc tempore quam maxime acquiesco. Sed in huius nominis et TIBI et mihi dulcissimi commemoratione desino, DEVM precatus, ut, quando Religio et Ecclesia CHRISTI, earumque ministrae, bonae litterae omnes, his diebus TVA doctrina, prudentia et gravitate inprimis indigere videntur, iis vitam et salutem TVAM porro donet propitius. Vale, meque inter TVOS censere perge. Scripsi in Academia Viteberg, A. N. C, MDCCLXXVII. Idibus Aprilibus.

PRAE-

PRAEFATIO
EDITIONIS SECVNDAE.

Etsi, quod erat in votis maxime, non consecutus sum, ut libellus hic iudicio summi Viri, ad quem publice missus fuerat, limatus et perpolitus prodire rursus in usus lectorum posset; (nam magnae illius animae iam tum non nisi umbra quaedam et fatiscentes magis magisque vires inter nos supererant;) tamen doctissimorum virorum, partim et amicissimorum, in illum animadversiones mihi non prorsus defuerunt. Vellem profecto contigissent plures; sed etiam paucioribus gratum uti decet. Itaque adiunctis iis, quae ipse, praelectionibus in hoc breviarium habendis, observavi, quaedam, nisi fallor, in melius mutavi; etsi pleraque huius generis singula potius verba et dicendi accurationem, quam narrationis et sententiarum vim propriam spectent. Ordinem dicendorum novare, quod vir quidam doctus suasit, per consilii, quod secutus sum in hoc libello scribendo, rationes mihi non licuit. Fateor, posse satis commode historiam *controversiarum* super christiana religione exortarum coniungi cum censu *doctorum*

rum eiusdem. Sed cum mihi hoc inprimis propositum fuerit, docere, quantum ad illustrandam, constituendam accuratius, nonnumquam et obscurandam aut corrumpendam, denique ad emendandam et restituendam religionem illam, valuerint lites propter eam natae: non alio loco opportuniore dicendum mihi de iis fuerat, quam in *historia religionis* ipsius. Huic vero cur postremum caput Periodi cuiusque tributum sit; secundum autem *historiae doctorum*; rerum in Ecclesia christiana natura, nexus et consecutio, vel me tacente, edisserunt. Quod idem vir doctus monuit, secernendam esse ab *historia religionis*, *theologiae historiam*, in eo mihi adeo cum ipso convenit, ut, cum primum ad scribendum hunc libellum accederem, *theologicae historiae* capita non nisi ea mihi attingenda iudicarem, sine quibus *historiae religionis* intelligi satis non posset. In eadem ratione tenenda hic quoque constans fui. Dabit Deus fortasse aliquando otia, per quae diligentius elaboratum publicare liceat breviarium *historiae theologicae*, cuius primas lineas in usus lectionum ab annis prope viginti duxi. Ceterum quas libellus hic nactus est accessiones, ad testium potissimum et tabulae chronologicae copias augendas redeunt. Scr. Vitebergae, Cal. Ianuariis A. C. cIↃIↃCCLXXXV.

HISTO-

HISTORIA
RELIGIONIS ET ECCLESIAE
CHRISTIANAE.

PRAEPARATIO.

§. I.

Religionum diversitas.

Duae inter ceteras nobiliores regnarunt in orbe *religiones*, hoc est, cognoscendi colendique Dei ab hominibus virtutis et felicitatis suae studiosis rationes: *Iudaica* altera, altera *Christiana*. Nam *naturalis* illa, mortalium mentibus a Deo velut infixa, citô corrupta est *superstitione* et *idololatria gentilium*, nec satis feliciter restituta per *sacra Zoroastris* aut *Confucii*; vel per praecepta *Graecorum Romanorumque philosophorum*; vel denique per scita et arma *Muhammedis*. Sed *Iudaica* et *Christiana* non modo *naturalis* illius fundamentis superstructae sunt, eiusque verissima praecepta in lucem revocata conservarunt; verum etiam hoc munus attulere generi humano, ut eius conditioni saepius mutatae magis magisque servirent, et leges, quas a Deo vere latas esse certo constaret, etiam scripto comprehenderent, tanto minus unquam interituras. Quas cum adoptarent innumeri, et ad eas observandas communi vin-

 culo

culo se obstringerent, eorum societates *Ecclesiae* dictae sunt, *Iudaica* primum, postea *Christiana* *).

*) Historiam religionum illustrarunt *Petr. Jurieu, Thom. Broughton, Chr. Meiners, Frid. Creuzer, alii.*

§. II.

Religionis Iudaicae cum Christiana adfinitas.

Vtraque autem et *religio et ecclesia* cum sint *inter se coniunctissimae*, historiae quoque ministerio sociantur. Ac *religio* quidem *Iudaeis*, auctore Deo, *per Mosen tradita, uni populo* adsignata videbatur, re ipsa *omnium caussa* publicata est; sed illi unico ita velut credita et commendata, ut in mediis errorum tenebris, quae universum orbem premerent, apud eum certe incolumis et mutationis expers perstaret. *Eius summa* haec fuit: *unum* et supremum omnium creatorem *Deum*, iam accuratius et uberius cognitum, praecipue *animi morumque sanctiate colendum; mentes* vero ad fidem et reliquam erga eum pietatem erigendas esse inprimis *exspectatione* et *fiducia* summi *beneficii per principem* omnium *Legatorum Dei*, doctorem et servatorem optimum, universis hominibus *olim praestandi;* quod etiam *prophetae Iudaeorum*, *divino Spiritu agitati*, clarissimis verbis nunciaverint; *observandas* praeterea esse ex voluntate Dei *caerimonias et ritus non paucos*, qui partim religionem ipsam salvam tuerentur; partim perpetuam fidei, obedientiae et severae disciplinae exercitationem adferrent; partim et suavissimas futurarum rerum significationes ostenderent. Quae religio cum nixa testimonio Dei, *miraculis* et *scriptis* edito; confirmata autem fere perpetua *Theocratia*, Christianae longe sublimiori viam muniret: eo tandem devenit, ubi ex consilio divino tota in hanc resolvi posset.

§. III.

Eius historiae summa capita et fontes.

Postquam enim *Abrahamus*, annis prope MM ante aeram Christianam, *prima* huius religionis *rudimenta* accepisset, *circumcisione* cum suis initiatus: plenius constituta est, et *paschate* inprimis consecrata per *Mosen*, qui CCCC post eum annis vixit; sed a *Davidis* aetate, hoc est M fere ante Christum annis, perspicuitatem multo maiorem et robur insignius adepta, per *Prophetas* continuo agmine sibi succedentes ita explicata et definita est, ut ad induendam *illustriorem* illam *formam*, quae ipsi destinata esset, licet gentis vitio saepius contaminata, ultro quasi ferretur. Ita *a fluxis* huius *vitae bonis* atque malis, qnae primum loco praemiorum et poenarum proposuerat, sensim *ad interiora animi et aeterna*; a subobscura, sed eadem tamen satis apta *Messiae* notitia, ad luculentam progressa est; consulente eo ipso divina sapientia etiam posteritati. Mulctatis *exilio Babylonico* Iudaeis, annis ante Christum DC, religio eorum a contagio idololatriae prorsus liberata est; mox sparsis per varias regiones, et *libris* eorum *sacris Alexandriae graece versis*, magis inter gentes celebrari coepit. Haec autem Iudaicae religionis historia propemodum omnis haurienda est e *sacris litteris Hebraeorum*; deinde maxime ex *Iosephi* Archaeologia, eo ipso tempore scribentis, quo dignitas et utilitas praecipua huius religionis iam ad Christianam transierant. *)

*) Illustrarunt hanc historiam diligenter *Iac. Vsserius* in Annalib. V. et Nov. Testam. Genevae 1722. f. et *Io. Franc. Buddeus* in Historia eccles. V. T. Halae, 1726. 1729. 2 Voll., 4. quibus addendus *Iac. Basnagius* in Historia Iudaeor. inde a C. N. gall. edita Hag. Com. 1716. 15 Voll. 12. et *Herm. Venema* in Hist. Eccl. V. T. Eandem cum historia aliarum gentium copularunt *Sam. Shukford Humphr. Prideaux*, *Ioh. Priestley*, quo-

rum

rum opera germanice versa leguntur. De caussis legum et institutorum cum relig. Iud. coniunctorum *Io. Spencerus.* de Legib. Hebraeor. ritualib. earumque rationibus, Tub. 1732. fol. *Adr. Relandi* Antiquitatt. sacrae vett. Hebraeor. et acutius multo *Io. David Michaelis* in Iure Mosaico, quod populari lingua explicavit sex Voll. ab a. 1770. disputarunt. Quibus addi possunt *Jahnii, Baueri* et *de Wettii* scripta de Hebr. Archaeol. Sed inprimis etiam legendae *Io. Aug. Ernesti* Vindiciae arbitrii divini in religione constituenda, in Opusc. theol. pag. 187. sq. et *Edm. Law* Meditationes super hist. religionis ex Anglico sermone germ. editae, Lips. 1771. 8. Accurate scripta relig. Iud. historia nondum exstat; *Büschingii* libellus germ. huius argumenti in conatu substitit. *Henrici Leo* de hist. jud. liber religionem populi prorsus praetermisit.

§. IV.

Historia Religionis et ecclesiae christianae quid sit?

Huius ergo christianae religionis et ecclesiae historiam aptissime dixeris *fide dignam narrationem de origine, progressu, et fatis maxime memorandis religionis et ecclesiae christianae. Ambitum vero et dignitatem* eius is demum rite assequitur, qui non modo quae Christiani, eorumque doctores vel adversarii gesserint, aut passi fuerint; sed inprimis, quae fuerit *nativa religionis Christianae facies*; quibus modis se *in animos hominum insinuaverit*; *quas mutationes* in orbe terrarum *produxerit*; quando et quibus de caussis *ab ingenio suo* et salubritate *desciverit*; quo tempore et quibus nixa praesidiis in pristinam formam *restituta* fuerit; *quanta bona tribuerit* humano generi; *quae mala* terras presserint eorum vitio, qui religionis huius nomine falso et pessime usi essent; alia item his similia, diligentius persequatur.

§. V.

§. V.

Vtilis ea christianis omnibus.

Hinc intelligitur, quanta et quam varia sit huius historiae addiscendae *utilitas*, atque adeo *necessitas*, commendanda non modo iis, qui sapere ultra vulgus audeant; sed *universo omnino populo Christiano*. Huic enim, si ab usu religionis ad animum vitaeque casus singulos transferendo discedas, nulla facilior via patet ad agnoscendum, *veram esse et divinam*, quam profiteatur, *religionem*. Idem ex hac historia *pietatis incrementa* petet amplissima; *superstitionem* non minus *vitare* discet, quam *religionis contemtum*; *iura, quae sibi religionis nomine debeantur*, perspiciet; et qui *Protestantium coetui adscriptus* sit, nihil praeter hanc historiam desiderabit, quod eum in amandis et constanter tuendis sacris confirmare possit.

§. VI.

Viris item doctis omnis generis.

Quicunque porro inter *doctos viros* censeri velit, non sine gravi damno suo carebit historiae huius scientia. Nam cum a populari religionis cognitione ad accuratiorem et philosophicam ei adscendendum sit, *caussas decretorum et institutorum sacrorum* innumeras ex hac historia hauriet, eodemque fere via breviore perveniet, quo theologis post longas et difficiles curas de interpretanda scriptura sacra, conformandis dogmatibus christianis, iisdemque defendendis, eniti licet. *Alienior* etiam erit, hac historia cognita, *ab impetu in religionem solis ingenii viribus faciendo:* cuius origines, naturam et vices cum perspectas habeat, et *liberius*, et vero etiam *melius atque utilius de ea* ceteris *iudicabit*. *Civilis historiae* stu-

studiosis proderit haec nostra tanto magis, quo plures et graviores *gentium, regnorum et principum conversiones* a Constantini M. aetate ad ultima usque secula, *ex religione christiana*, quamvis plerumque invita, et hominum libidini servire coacta, exortae sunt. Qui *litterarum et artium bonarum historiam* colendam susceperunt, partim incrementa et casus earum ex statu religionis rectius metientur; partim quid ipsae in hanc gratae contulerint, huius historiae beneficio exploratum habebunt. *Iurisprudentiae* autem haec velut propria offert commoda Historia Christianorum ecclesiastica. *Primum* quidem habitum religionis ad leges civiles, harumque ad illam mutuum, ita aperit tot seculorum usu exemplis, ut insignes inde *de religionis et reipublicae mixtis inter se iuribus et muniis*, sed pulchre tamen conspirantibus, observationes repeti possint. *Deinde iuris ecclesiastici* omnis consultos fieri haec historia prima docet, pandens illa et *veteris* illus *iuris canonici*, et *iuris Pontificii* a seculo inde IX orti, denique et *iuris ecclesiastici Protestantium*, veram originem, scita primaria, et progressus. *)

*) *Franc. Balduinus* LL. II. de Institutione Historiae universae, et eius cum Iurisprudentia coniunctione, inprimis p. 191. sq. Argentor. 1608. 8. *Iust. Henning. Boehmerus* Diss. de necessitate et utilitate studii hist. ecclesiast. in iuris ecclesiast. prudentia, praefixa Observatt. selectis ad *Pet. de Marca* Librum de Concordia Sacerdotii et Imperii. Vterque ICtus historiae ecclesiasticae consultissimus: cui etiam non minus profuere ICtorum labores, quam Theologorum. Vid. *Io. Douiatii* Praenott. Canon. a *Schotto* iterum editas, *Duareni, Ziegleri, Espenii, Pertschii,* alior. Ictor. libros.

§. VII.

Maxime autem Theologis.

Sed omnium maxime in *Theologo* formando, adiuvando et ornando Historiae Christ. Ecclesiasticae

cae praestantia spectatur. Ac *primum* quidem, cum in historia religionis, quam *docere* instituit, prorsus habitare debeat, ea ipsa admonetur, *quantum sit munus*, quod eius curae concreditur, et quae *viae* pateant, *bene* de religione et ecclesia ad omnem posteritatem *merendi*. *Mox* in eadem *incunabula* et *vicissitudines systematis theologici*; fata *interpretationis sacrarum litterarum*, et quantum ab ea religionis atque ecclesiae conditio semper pependerit; *historiam dogmatum theologicorum*; *natales* et caussas *errorum*, *haeresium*, *schismatum*, aliarumque *controversiarum*, quae religionis caussa gestae sunt; vim et dignitatem *rituum cum religione coniunctorum*; *praesidiorum emendandis hominibus comparatorum* varios usus; diversos *tradendae commendandaeque religionis modos*; origines *symbolorum*, seu publicarum fidei confessionum; ingenium, animum et merita *doctorum veteris et novae ecclesiae*, qui tot seculis leges scripsere; *reformandae religionis* necessitatem saepius recurrentem, alia his adfinia, utiliter investigabit. *Prudentia* autem in imitando et cavendo magistram hanc historiam habebit certissimam. *)

*) *Io. Aug. Ernesti* de Theologiae historicae et dogmaticae coniungendae necessitate et modo universo, in Opusc. theologicis. p. 565 sq.

§. VIII.

Fontes et Subsidia Historiae Rerum Christianarum.

Hos usus si ab ea exspectes, petenda est sine dubio e limpidis *fontibus*, hoc est, *partim* ex *monumentis publicis* et genuinis rerum gestrarum, quo pertinent, quae et in litteris sita sunt, et in ope-

operibus artificum; *partim ex scriptoribus* fide dignis, qui vel actis interfuerunt, vel vivendo proxime ad ea accesserunt. Praeterea utendum est *subsidiis* recentiorum seculorum, seu eorum opera, qui colligendo, examinando et iudicando huius historiae veritati profuerunt. *Scriptores historiae ecclesiasticae christianae* plerosque omnes *Casp. Sagittarius*, (Introductione in Historiam Ecclesiasticam,) *Christoph. Matth. Pfaffius*, (Introd. in Hist. Theologiae Litterariam, Parte Tertia, *Io. Franc. Buddeus*, (in Isagoge Historico Theologica ad Theologiam universam,) *Io. Georg. Walchius*, (Bibliothecae Theologicae Parte Tertia,) *Io. Aug. Noesseltus*, (in Bibliognos. theolog. germ. scripta,) et *G. I. Planckius*,* (Introd. in discipl. theologg. opere eiusdem sermonis,) recensuerunt. De fontibus historiae christianae universis, eorumque usu, narrationem criticam instituit *Christ. Guil. Franz. Walchius* a). Et quoniam *Scriptores* quoque *Ecclesiastici* propemodum omnes, hoc est, quicunque de rebus ad religionem et ecclesiam christianam spectantibus scripserunt, lucem aliquam affundunt huic historiae: iis cognoscendis primum *Hieronymi* Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum, seu Liber de viris illustribus, variorum opera productus ad medium Seculum XVII b), deinde ante alios *Guil. Cavei* Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum c), et aliorum similes libri tractandi sunt d).

a) Excusus est libellus germanice, Lips. 1770. 8.

b) Cum his accessionibus aliorumque animadversionibus et suis, exscribi illum iussit *Io. Alb. Fabricius* Bibliothecae Ecclesiasticae nomine, Hamb. 1718. fol.

c) Basil. 1741. fol. edita diligentissime.

d) *Vt Pinii (Du Pin), Tillemontii, Oudini, Cellierii, Nurrii*, Commentarii, digni omnes qui legantur; sed primus et postremus optimi. Accessit nuper *C. T. G. Schoenemanni* Bibliotheca historico — litteraria PP. Latinor.

§. IX.

§. IX.

Monumenta publica Historiae Christianae.

Ac primum quidem permulta rerum Christianarum *monumenta auctoritate publica condita* sunt: in his *Leges* Principum Christianorum a *Constantino* ad *Iustinianum*, de religione et ecclesia, quae in *utroque Codice Iuris* leguntur, inprimisque Cod. Theodosiani Libro XVI *a*); porro *Acta et Canones Conciliorum*, quorum illa utiliter inter paucos collegerunt *Io. Harduinus b*), et *Io. Dominic. Mansius c*), hos *Henr. Iustellus* et *Guil. Beveregius* singularibus operibus complexi sunt *d*); denique *Epistolae, Decreta, Brevia et Bullae Romanorum Pontificum e*); Privilegia, Donationes, aliaeque *Constitutiones Principum*, *Symbola* et Confessiones Ecclesiarum, *Liturgiae*, cet *f*). Accedunt *Inscriptiones g*), *Numi*, *Sigilla*, *Tabulae pictae*, *Statuae*, et id genus alia.

a) Codex Theodos. cum commentar. *Iac. Gothofredi* et observatt. *Io. Dan. Ritteri*, Lips. 1736, sq. Voll. 6. fol.

Actis Conciliorum, Paris. 1715. 12. Voll. fol.

c) SS. Concil. nova et ampliss. Collect. Florent. 1759 — 1785. Tomi 28. f. neque tamen absoluta. Quo pertinent etiam *Walchii* Hist. d. Kirchenversamml. et *Fuchsii* Biblioth. d. Kirchenvers.

d) Ille Biblioth. Iuris Canonici veteris, Paris. 1661. 2 Voll. fol. hic Synodico seu Pandectis Canonum SS. Apostol. et Conciliorum, Oxoniae 1672. 2 Voll. fol.

e) v. Magnum Bullarium Romanum, Luxemb. 1727. sq. fol. editum; *Cutantii* Edistt. Rom. Pontiff.

f) v. c. *Euseb. Renaldotii* Liturgiar. Orientalium Collectio, Paris. 1716. 2 Voll. 4.

g) v. c. Inscriptt. Christianae in *Gruteri* Thesauro Inscriptt.

§. X.

patronus caussarum Antiochenus, et ipse *Socratis* atque *Theodoreti* continuator, Libris VI. ab a. CCCCXXXI ad a. DXCIV floruerunt. Hi omnes iunctim *Scriptores Hist. Eccles. Graeci* seu antiqui dicuntur: qui cum doctissimis *Henr. Valesii* annotationibus primum omnium legendi sunt iis, quorum interest, accuratius hanc historiam cognoscere. *)

*) Edidit eos *Valesius* Parisiis a 1659. 3 Voll. fol. cuius editio in Germania recusa est a 1672. seqq. ornatior ac locupletior Cantabrigiae 1720, opera *Guil. Reading*. Cantabrigiensis denique editio Augustae Taurin. 1748. Neque hoc loco tacendum est *Chronicon Eusebii*, quod, *Iulii Africani* vestigiis insistens, ab orbe condito ad A. C. 325. deduxit. Eius fragmenta cum *Hieronymi* versione liberiore et continuatione ad a. C. 378, edidit atque illustravit *Iosephus Iustus Scaliger* in Thesauro temporum, Amstel. 1758. fol. Bene etiam de *Eusebii* Hist. Eccl. meruit nostra aetate *Strothius*.

§. XIII.

Eiusdem Scriptores latini.

Eam vero in Ecclesia Occidentali et pauciores et minore successu per haec tempora colebant. In his *Sulpitius Severus*, Aquitanus, disertus *Historiae Sacrae*, h. e. Iudaicae et Christianae, auctor, sub initia Seculi V *); et eodem tempore *Rufinus*, presbyter Aquileiensis, cuius *Historia Ecclesiastica* Libris XI. partim ex *Eusebio* desumta est, vertendo, addendo, omittendo; partim ab ipso scripta, libris duobus extremis; sed exili fide **). Huius adversarius *Hieronymus*, etsi doctissimus in ceteris vir, historiae tamen christianae credulitate nimia plurimum noxae attulit. Nec felicius post eius tempora apud Latinos exculta est; quod vel *Epiphanii* Scholastici *Historia tripartita* e graecis compilata Seculo VI docet.

*) Huius Historiam post *Io. Vorstii* (Berol. 1668. 8) et *Christ. Schoettgenii* (Lips. 1709. 8.) curas, *Hieron. de Prato* cum amplissimo apparatu prodire iussit Veronae 1741 et 1754. 2 Voll. 4. Sed praestat reliquis *Sigonii* Commentarius Opp. Tomo IV.

**) Vtilior *Cacciarii* edit. Romae, 1740. 4.

§. XIV.

Historiae Chr. studium ineptum aut nullum.

Certe cum utramque Ecclesiam vergente Seculo IV. non modo *superstitio* invaderet, et doctorum dominandi libido; sed occidentalem etiam ineunte quinto summa *barbaries:* cito *periit liberale studium Historiae Christianae.* His enim malis debetur, quod in ea *fabulae innumerae*, partim alendae malesanae pietati, partim dominationi doctorum Ecclesiae stabiliendae, natae sunt; quod in *rebus parum dignis* colligendis moleste sedula facta est; quod *solius Cleri arbitrio* et diligentiae permissa; denique quod omnis *libertatis* in iudicando et scribendo *expers* fuit, a Seculo V ad exitum usque XV. In quorum Seculorum historia *Chronicis* plerumque utendum est, monachorum et episcoporum crasso ex ingenio profectis. Pauci umbram aliquam melioris historiae servabant; ut *Scriptores Byzantinae historiae*, a Seculo VI ad XV *a*) et *Nicephorus Callisti*, Seculo XIV, cuius Libri XVIII Historiae a Christo ad a. DCX superant *b*), inter Graecos; apud Latinos Seculo octavo *Beda Venerabilis;* nono *Haymo Halberstadiensis*; decimo *Luitprandus*; undecimo *Lambertus Schaffnaburg.* duodecimo *Sigebertus Gemblacensis;* decimo tertio *Matthaeus Paris*, alii *c*). Qui autem Seculo XV liberare historiam christianam a tot commentis instituit *Laurentius Valla*, vix ullum per Cleri potentiam operae pretium fecit *d*).

a) v.

a) v. *Io. Alb. Fabricii* Biblioth. Graec. L. V. Part. II. seu Vol. VI. p. 219 sp. et *Hanckium* de Scriptt. Byzant.

b) Edidit *Fronto Ducaeus*, Paris. 1630. 2 Voll. fol.

c) De quibus post *Caveum* et alios, consulendi *G. I. Vossius* de historicis latinis, et *Fabricius* Biblioth. latina mediae et inf. aetatis.

d) v. c. Declamatione contra Donationis, quae Constantini dicitur, Privilegium.

§. XV.

Restauratum Seculo XVI.

At *restaurata* ineunte Seculo XVI *religione christiana*, historiae quoque illius laetior aetas affulsit. Nam qui in illa repurganda laborabant, huius sincera forma adeo carere non poterant, ut eius potissimum ope ostenderent, *ignotam* fuisse *antiquitati christianae dominationem Episcoporum Romanorum*, cui se subtraxissent; *fidem* quoque *Ecclesiae Romanae ab illa vetere* christianorum multis capitibus *discessisse*; *suam* contra *cum hac antiquissima* plane *conspirare*. Praeterea cum multiplicem *huius historiae in omni doctrinā theologica utilitatem* sentirent: ad eam libere et accurate tractandam, ipsique religionis scientiae adiungendam, protinus se accinxerunt. Principes ferē post *Lutherum* et *Zwinglium*, hoc egerunt *Philippus Melanchthon*, et *Martinus Chemnitius*. Primum autem historiae christianae ad hos usus accommodatae corpus Seculorum XIII edidit Ecclesia Euangelica *Centuriis Magdeburgensibus*, quas *Matthias Flacius* eiusque collegae scripserunt. *)

*) Basil. 1559 sq. fol. quarum pars recusa Norinberg. ab a. 1757. 4. Epitomen earum, adiecta Secul. XIV, XV. et XVI. historia, concinnavit *Lucas Osiander*, ed. Tubing. 1592. sq. 8 Voll. 4.

§. XVI.

Progressus illius apud Euangelicos.

Nec seposuit illius studium haec Ecclesia Seculo XVII. sed tamen controversiis perpetuis et acerrimis, iisque perquam subtiliter gerendis, diu impedita est, quo minus illustres in eo progressus faceret. In mediis certaminibus magnum *Georg. Calixti* ingenium, etiam in Hist. Christ. versatissimum, eluxit, et nonnullos excitavit ad imitandum. Exeunte autem illo Seculo, non modo plures exorti sunt in Ecclesia Euangelica, qui hanc historiam satis feliciter excolerent, ut *Christ. Kortholtus, Tho. Ittigius, Ad. Rechenbergius;* sed etiam *Christiani Thomasii* in reformando Iure Ecclesiastico, et *Godofredi Arnoldi* in emendanda ratione scribenda huius historiae a), consilio factum est, ut scriptores quidam maiorem in iudicando solertiam et aequitatem, quae tradentibus illam deesse videbatur, cum aliis in narrando et utendo virtutibus, ei accommodarent. Cuius rei prope perfectae laus inprimis *Io. Laurentio Moshemio* b) debetur. Inter plurimos autem, qui hoc nostro seculo eamdem viam ingressi sunt, eminent *Ernesti Salomonis Cypriani* c), *Siegmundi Iac. Baumgarten, Christophori Matthaei Pfaffii* d), *Io. Augusti Ernesti* e), *Io. Salomonis Semleri* f), *Christiani Guilielmi Francisci Walchii* g), et *Io. Andr. Crameri* h) nomina. Praestantiora huius historiae breviara scripsere *L. T. Spittlerus* et *H. P. C. Henkius;* ille ingenio, sagacitate et elegantia; hic gravitate historica et testium iusta copia spectabilis. Vberius in tractanda historia ecclesiastica nostris diebus versati sunt *Planckius* et *Smidtius, Danzius, Gieselerus, Neander,* alii.

a) Famoso opere, neque tamen spernendo, quod de Historia Eccles. et Haeresiolog. sermone vernaculo edidit a. 1699 et 1700. Partib. IV. formae maximae. Eius

aestum lenire instituit *Weismannus* in Memorabilibus Hist. Eccl.; sed longe felicius *Moshemius*.

b) Institutt. Hist. Eccles. antiquae et recentioris; Commentariis de reb. Christianor. ante Constant. M. aliisque libris plurimis.

c) Quem vel unus liber germanicus de origine et progressu dominationis Pontificum Roman. satis nobilitavit.

d) Vid. eius Origines Iur. Eccles. et Institutt. H. E. Tub. 1727. ed. 2.

e) Cuius Anti-Muratorius, et disputationes atque observationes de rebus ecclesiasticis acutissimae permultae, celebrantur apud omnes.

f) Qui in Historia dogmat. christianor. in Hist. Eccles. selectis capitibus, Disquis. de Canone bibl. aliisque libris non paucis, multa utiliter, libere et ingeniose observavit, plurima novavit, non raro feliciter audax.

g) Scripsit Historiam Haeresium, Conciliorum, Pontiff. Rom. aliaque doctrinae et diligentiae insignis opera.

h) Vid. eius Dissertt. ad *Bossueti* Historiam orbis et religionis, germanice redditam.

§. XVII.

Simul et Reformatos.

Reformatae Ecclesiae doctores, praesertim Pontificiis *in Francogallia* permixti, mature adversus hos doctissimis operibus ex historia ecclesiae christianae haustis pugnarunt, inprimis Seculo XVII, *Philippus Mornaeus*, *Petrus Molinaeus* a), *Ioannes Dallaeus* b), et *Io. Claudius* c). Forti adversus suorum odia animo *David Blondellus* eamdem historiam a fabulis purgare instituit, et eximiis operibus illustravit d). In *Anglia* Patrum veteris ecclesiae scriptis et antiquitati ecclesiasticae multum operae tributum est a *Ioanne Pearsono*, *Guilielmo Aeveregio*, *Henr. Dodwello*, *Georg. Bullo*, *Iosepho Binghamo*, aliis *Helvetii* et *Batavi* maioribus fere operibus ambitum omnem huius historiae complecti coeperunt, ut *Io. Henr. Hottingerus*

tingerus e), *Fridericus Spanhemius* filius *f*), *Iacobus* ac *Samuel Basnagii g*) et *Herm. Venema h*). Breviarium historiae christ. concinnum *Paul. Ern. Iablonski* edidit; aliud et ipsum laude dignum *Guil. Münscherus*. Nec male ex *Arminianorum* coetu *Ioh. Clericus* meruit de Historia Christiana *i*).

a) Ille in Mysterio iniquitatis; hic opere de Novitate Papatus, uterque francogallice.

b) Defensor longe doctissimus doctrinae Protestantium ope antiquitatis ecclesiasticae, v. c. Libris de obiecto cultus religiosi Latinorum; de poenis et satisfactionibus humanis, cet.

c) Clarus controversia cum Pontificiis gesta, de perpetua fide Ecclesiae in dogmate de S. Eucharistia, et Apologia pro sacris repurgatis.

d) v. c. de Primatu in Ecclesia, cet.

e) Hist. Eccles. N. Test. IX. Voll. octonis.

f) Cuius Hist. Eccles. Nov. Test. Tomo I. Operum inserta laudatur merito hodieque.

g) Ille Historia Ecclesiae gallice scripta adversus *Bossuetum*, 2 Voll. fol. hic Annalibus politico-ecclesiasticis Seculorum VI. priorum adversus *Baronium*.

h) Hist. Eccles. V. et N. Test. ab a. 1777. plurib. Voll. 4.

i) Hist. Eccles. duor. primor. a. C. N. Secul. Amst. 1716. 4.

§. XVIII.

Denique et Pontificios.

Iam ut telis ex hac historia adversus se petitis occurreret *Ecclesia Romana*, eam scriptores illius non pauci, doctrina et diligentia sane probanda, abiectis etiam crassioribus quibusdam fabulis, sed ita tamen plerumque tractarunt, ut eam Romani Episcopi in Christianos dominationi stabiliendae quam maxime invitam accommodarent. Quod omnium cupidissime egit *Caesar Baronius*, nobili opere *Annalium Ecclesiasticorum* pertexen-

do *a*); cuius continuationem ab a. MCXCVIII, in quo desinit, susceperunt *Odor. Raynaldus*, *Abrah. Bzovius*, *Henr. Spondanus* et *Iac. de Laderchio.* Idem opus *Antonius Pagius* feliciter in multis emendavit, non parum lucis simul omni historiae affundens *b*). Liberiores et veri impensius studiosos scriptores nacta est haec historia Francogallos, *Edmundum Richerium*, *Ioannum Launoium*, *Ludov. Ellies Pinium*, in Italia *Paulum Sarpium*: quos denique in Germania immitatus est *Io. Nic. Honthemius.* Praestantiora systemata huius historiae dederunt *Natalis Alexander* c), *Claudius Floridus (Fleury)* *d*), et *Sebast. Nanus Tillemontius* *e*). E Germanis nostra aetate narrandi quamdam iudicandique libertatem amplecti coeperunt *Ferd. Stoeger*, *Casp. Roiko*, *Ans. Frid. de Gudenus*, *Dannenmayerus*, *Wolffius*, *Ritterus.* Inter Italos memorandi post *Car. Sigonium*, *Ios. Aug. Orsi*, et *Io. Laur. Berti.* Multi etiam de hoc coetu theologi, in his *Albaspinaeus*, *Baluzius*, *Petavius*, *Thomassinus*, *Dacherius*, *Io. Morinus*, *Edmund. Martenius*, *Io. Mabillonius*, *Bern. Montefalconius*, aliique, Patrum et aliorum scriptorum ecclesiasticorum operibus edendis, ritibus veteris ecclesiae enucleandis, Conciliorum actis colligendis, praeclare hanc historiam illustrarunt.

a) Prodiit Romae ab a. 1588. 12 Voll. formae maximae. Praestant inter reliquas editiones Moguntina anni 1601. et Coloniensis a. 1609.

b) Praeclaro opere Criticae in Annales Baronii, Antverp. 1705. 4 Voll. formae maximae. Cum eo coniungendae praestantissimae *Is. Casauboni* in eosdem Annales *Tribechovii* Exercitatt. continuatae, ubi desiit Casaub. Kil. 1666.

c) Doctissimus omnium ex hoc genere, in Hist. Ecclesiast. Nov. Testam. Paris. 1676. sq. 26 Voll. 8. mox forma folii.

d) Hist. Eccles. 20 Voll. 4. edita Paris. 1691. sq. iam ex gallica germanica facta, Voll. 14. quaternis.

e) Commentariis gallicis Historiam Eccles. ad initia usque Seculi VI apparatu amplissimo instruentibus, Paris. 1693. sq. 16 Voll. 4.

§. XIX.

Methodi histor. praecepta.

Quos omnes historiae christianae scriptores, certe principes eorum, cum germanis monumentis, cognitos habere, magnum quidem est et necessarium; sed alia quoque accedant oportet, quibus recta *methodus discendae docendaeque huius historiae* continentur. Ac *prima* quidem cura in eruendo *vero* sita est, tanto illa difficilior, quod nulla pars historiae tot fabulis, et quae tam altas radices egerint, inquinata est, ac nostra. Hinc non modo *testes* rerum gestarum candidi *), iique omnium gentium et partium inter christianos natarum, audiendi sunt; verum etiam, et *magis fere, diplomatum similiumque monumentorum publice editorum, fide* nitendum est; dandum et subinde aliquid est *verosimili coniecturae* et *dubitationi; libertas* autem investigandi et iudicandi perpetua servanda **). *Proximum* huic est, ut *delectus* eorum, quae vera esse agnoveris, acrior instituatur, resque magnae et insignes ante alias ab iis, quae memorabiles tantum dici possunt, probe secernantur.

*) Proditae sunt narrationes quaedam a centum scriptoribus; sed ne ab uno quidem teste.

**) *Io. Aug. Ernesti* de fide historica recte aestimanda.

§. XX.

Praesidia linguarum, chronol. geograph. critica.

Sed hoc loco neque ingenio, neque diligentiae tribuenda sunt omnia. Imo vero non sine ac-

accurata *graecarum latinarumque* literarum, *graecitatis* etiam et *latinitatis ecclesiasticae* a), scientia, porro et *dialectorum* quadam *orientis* notitia, operae pretium in hac historia quisquam fecerit. Cognoscenda porro est *chronologia* sacra b), quae et technicis et historicis rationibus continetur; eique adiungenda *geographia ecclesiastica* c). Inprimis autem *criticae artis* d) beneficio genuina sunt a spuriis secernenda, et interpretandi quaedam firmitas atque ἀκρίβεια tuenda.

a) Hanc *Cangius* in utroque Glossario, *Suicerus* in Thesauro Eccles. alii explicarunt

b) Post *Scaligeri* et *Petavii* opera, inprimis *Frid. Spanhemius* filius elementa chronologiae sacrae utiliter tradidit.

c) Ex *Relandi* Palaestina, *Spanhemii* supra laudati, maximeque *Car. a. S. Paulo* Geographia S. quibus addendus *Stäudlinus*.

d) Legendi, *Conringius* in Censura Diplom. Lindaviens. *Papebrochius* in Propylaeo antiquario, scriptores item belli apud Gallos dipplomatici. Habent etiam *Clericus* in arte critica, *Laubrusselius* libro galli de abusu critices in rebus ad religionem pertinentibus, et *Honorat a. S. Maria*, Animadverss. in regulas et usum critices, (quamquam hi duo nimis abrepti partium studio,) observationes perutiles.

§. XXI.

Pragmatica Historia Christiana quaenam?

Sequuntur *pragmaticae historiae* virtutes, hoc est eae, quae hanc historiam non modo memoriae artem esse patiantur; sed quam maxime ad iudicandi peritiam et prudentiam in rebus gerendis augendam transferre doceant, atque adeo vere *pragmaticos* efficiant istius historiae studiosos. Quas ut consequaris, partim *caussae factorum* indagandae sunt, idque non per solam divinationem, sed ope vestigiorum in ipsa historia impressorum;

par-

partim *nexus factorum inter se*, etiam longo temporis intervallo disiunctorum, inspiciendus; partim deniquae *quae ex illis consecuta sint*, et *quam hodieque utilitatem praestent*, cognoscendum est. Ingens autem huius laboris praesidium senserit, qui mores et ingenia clarorum virorum accurate notaverit, et *cum ecclesiastica historia civilem ac litterariam coniunxerit* diligentius. Tandem quid divinum sit in Ecclesia christiana omnibus temporibus quam maxime spectandum est. Atque his praesidiis munitus etiam in *scribenda hac historia* dignitati eius satisfaciet; ut adeo, cui *res potenter lecta* sit, nec *facundia* illum deserat, nec *lucidus ordo*.

§. XXII.

Ordo rerum et temporum aptus.

Neque enim postrema bonae methodi laus in apto *rerum et temporum ordine* observando posita est. *Rerum* quidem in hac historia occurrentium varietatem ad hanc rationem revocare iuvat, ut post *origines religionis christianae*, *progressus eius* per orbem, *hostium conatus* in ea opprimenda, *doctorum* religionis erga eam varia *studia*, *mutata* inde saepius *religionis forma*, imagines illius per *ritus* expressae, *errores* et decreta humana, quibus contaminata fuit, *controversiae* et *turbae* super ea exortae, *emendandae* eius *molimina*, nec non *vis* ac potestas, quam *in animis atque moribus hominum* ostendit, enarrentur. *Temporum* autem longam seriem vix aptiori distributione complecti licet, quam *eundo*, non per secula octodecim, quibus historiae christianae fines continentur, sigillatim descripta; sed *per illustriores periodos*, quarum quaelibet diversum valde a superiori religionis et ecclesiae christianae statum, idque, maximis in rebus, vidit.

§. XXIII.

§. XXIII.

Adumbratio Periodi I. Hist. Christ.

Talium autem *periodorum quatuor* in hac historia eminere, res ipsa loquitur. *Prima* quidem *a Christo nato ad Constantinum M.* ab anno aerae vulgaris I ad a CCCVI. producta, *sinceram et maxima* sui parte *incorruptam* sistit *religionem christianam*, dignosque eius sanctitate plerosque, qui eam profitebantur. Nam *auctoris illius* inter homines *acta*, *doctrinam et monumenta*, *discipulorum eius* integerrimorum ex hoc fonte manantia *decreta* et *libros*; *reliquorum doctorum* eiusdem religionis studium, ad horum fidem omnia referendi; *religionis huius* admirabilem *in emendandis mortalibus vim*, et *in tolerando hostium impetu* invictum *robur*; *simplicitatem cultus divini* publici, et *caerimoniarum paucitatem*; *errores* sane a quam plurimis, inprimisque *Gnosticis*, *in* hanc *religionem illatos*; sed facile ipsa Christi et Apostolorum voce atque manentibus litteris, reiectos; pigmenta quaedam et *opiniunculas* ab ipsis quidem hanc vocem reverenter habentibus doctoribus religioni christianae ornatus caussa additas; sed libenter tamen *auctoritati sacrarum litterarum* postpositas: *crescentem* satis horum *doctorum dignitatem*, nondum tamen dominationi similem; *difficilia* Christianorum tempora, sed tanto virtutum feraciora; *vitia* autem, in quae subinde delapsi erant, severiore ad religionis imperium quasi reditu *cito correcta*, exponit.

§. XXIV.

Periodi II.

Sed alia omnia ostendit *Secunda Periodus*, secula, quae a *Constantino M.* ad *Carolum M.*

seu ab anno aerae Dionysianae CCCVI ad annum DCCC profluxerunt, complexa. In ea enim *religio Christiana* non iam sui amplius iuris; sed magis *hominum libidini obnoxia*, multo minorem orbi et Christianis utilitatem praestare potuit. Quae simulac *principatum per Imperium Romanum* obtinuit, adseclae eius, liberi ab omni metu, *quidvis sibi in eam*, dummodo pia mente agerent, *licere putabant*. Itaque *rituum* innumerabili *cohorte*, et in his, permultis absonis et nugacibus, *oppressa*, *superstitioni* mature *cessit*, quam doctores christiani plerique, *monasticae vitae* ingens *existimatio*, et *barbaries*, quae a seculo inde quinto Occidentem maxime invasit, secundis nimium curis foverunt. Inde et novorum *dogmatum* inter christianos orientium copia, *de invocandis sanctis*, *adorandis imaginibus*, *igne purgatorio*, *missae sacrificio*, *expiandi Numinis nuper effictis rationibus*, *alia*, repetenda sunt. *Doctores*, maximeque *Episcopi Romani*, *ad potestatem suam* in Christianos *stabiliendam* audacius *grassabantur*; callide usi Principum favore ac liberalitate immensa, temporum infelicitate, opportunitate Conciliorum, ipsa illa denique superstitionis peste. *Controversiae* de rebus ad religionem pertinentibus iam *inhumanius*, per proscriptiones et *caedes* ipsas agitatae. *Bella catholicorum et haereticorum* inter se exorta; respublica per haec ipsa in discrimen adducta. Religionis degener forma ad *gentiles et Iudaeos* exili fructu, nonnunquam et per vim, delata. *Doctrinae humanioris* quae ei servire *coeperat* apparatus, cito desertus. Quae quidem rerum perturbatio et tenebrae ecclesiam invadentes, non modo *Muhammedanae religionis* progressibus, cum summo rei christianae detrimento coniunctis, favebant; sed etiam *orienti* sensim *Episcopor. Rom.* in occidentales christianos *dominationi*, iam *portione Italiae* non contemnenda auctae.

§. XXV.

§. XXV.

Periodi III.

Tertia Periodus a *Caroli M.* aetate, hoc est, ab anno p. C. N. DCCC ad *Lutherum* usque, seu annum MDXVII. pertingens, *religionem et ecclesiam christianam prorsus pessundatam*, et fere *ab arbitrio Romanor. Pontificum pendentem* spectavit. Restituere quidem huic *religioni pristinum decus* parabat *Carolus M.* sed nimis inveteratae superstitioni profligandae vires eius nequaquam pares fuere. Eiusdem potius *religionis*, nunc *latissime per orbem propagatae*, nomine usi sunt *Episcopi Romani* ad invadendum non modo *ecclesiasticum*, sed etiam *civile in Christianos* occidentales, (a quibus *orientalis ecclesia* iam penitus divisa est,) *imperium*: idque partim confictis *Decretalibus*, *Conciliorum* auctoritate, *Monachorum* aliorumque *Clericorum* innumerabilium ope; partim *poenis capitalibus*, *expeditionibus cruciatis* in Muhammedanos, et in ipsos Christianos liberioris spiritus imperatis, *Inquisitione*, *anathemate*, *interdicto*, totque aliis tyrannidis suae praesidiis, firmarunt. Ita factum est, ut *religio Christ.* unice *ad usus Cleri accommodaretur;* neque tantum insignioris ad Christianos utilitatis expers, sed iisdem etiam vehementer *noxia* esset. Quam *Scholastici* quidem doctius et accuratius tractaturi videbantur; sed revera subtilibus disputationibus et rixis obscurarunt. Iidem non paucos naevos huic religioni subnatos de *transsubstantiatione*, *de communione sub una*, *de septem sacramentis*, alios, vel ipsi enixi, vel strenue tutati sunt. Melioribus auspiciis ad religionem Christ. emendandam *Waldenses*, *Wiclefitae*, et *Hussitae* accesserunt; sed terribili Cleri potentia facile oppressi sunt. Nonnihil et simili fere consilio *Mystici* agere instituerunt

tuerunt, a *caerimoniarum* immenso apparatu, in quo religio prope omnis habitabat, avocantes animos ad christianam pietatem. *Doctrinae liberali* parum ad iuvandam religionem conferre licuit. *Conciliorum* autem exeunte hac periodo nonnulli conatus ad recuperandam libertatem Christianam non contemnendi prodierunt; cum interea *Graeca Ecclesia* sub iugum Ottomannorum pene omnis mitteretur.

§. XXVI.

Periodi IV.

Tandem *quarta Periodo*, quae a *Lutheri* aetate ad nostram procurrit, *restaurata* est *religio Christ.* eiusque cultores, quibus placuit, in libertatem vindicati. Quod cum *Lutheri*, *Zwinglii*, aliorumque summorum virorum opera, satis feliciter perficeretur: suborta sunt hinc dissidia rei christianae in Occidente, *Romanae Ecclesiae* dominationi penitus se subtrahentibus *Protestantium* coetibus. Atque *hi* quidem in revocanda vetere simplicitate et salubritate religionis christianae *multa bene* egerunt et adhuc conantur, coniunctis etiam rursus cum ea *bonis litteris*, quae nunquam antea tantum profuere religioni; ceterum et ipsi, quamvis optime meriti de genere humano, *longius* tamen adhuc *a meta* sibi proposita absunt. *Illa* et corruptae religionis et Pontificii imperii auctoritatem *legibus*, *minis*, *suppliciis et bellis*, *astu* etiam multiplici, propugnavit; *cepit* tamen et ipsa *emendatorum sacrorum*, quamvis non receptorum, *fructus* minime contemnendos; in nonnullis autem regionibus etiam *liberioris ingenii*, nec inutiles litteris theologicis, *doctores* protulit. Non cessarunt prorsus Christiani vel hac aetate, *malorum multorum auctorem facere religionem* suam. Libertas quidem super ea sentiendi *minoribus coetibus*

tibus quibusdam natales dedit. Sed alii inter Christianos non pauci ad *omnem hanc religionem destruendam* ingrati surrexerunt. Eadem ad gentes ab illa alienas fausto successu *propagata*, innumerisque *libris* commendata ac *defensa* est. Magis etiam in dies intelligunt Christiani, quanta sibi a religione sua bona exspectanda sint; quam parum et leviter eam in usus suos plerumque converterint; quam multa deniqne ex hominum profecta ingenio ab ea removenda sint, ut germana puritate nitere possit.

PERIODVS PRIMA
HISTORIAE
RELIGIONIS ET ECCLESIAE CHRISTIANAE
A CHRISTO AD CONSTANTINVM M.
H. E.
AB A. C. I. AD A. CCCVI.

CAPVT I.
Historia vitae et dogmatum Auctoris Religionis Christianae.

§. I.
Status orbis Romani, omninoque gentilis.

Initia Christianae religionis in *ea tempora* incidunt, quae et illius auxilio maxime *indigerent*; et ad eam cognoscendam, explorandam et recipiendam *aptissima* essent; quibus denique multis ante seculis esset *promissa*. Nam nobilissima pars orbis, qua

qua notus erat, *Romano imperio*, eiusque ab annis fere triginta domino, *Augusto*, parebat, qui unus tot gentes pace et concordia iunctas moderabatur *a*). Hoc in Imperio, et apud gentes plerasque omnes ei finitimas, quas inter *Parthi* et *Germani* eminebant, late dominabatur *idvlolatria*, nec veras de Deo sententias fovens, nec virtuti valde favens. Graecorum quidem et Romanorum religio in plerisque plane consentiebat; aliam Aegyptii, Parthi, Germani et Galli sequebantur *b*). Quamvis autem religionis ethnicae vitia *philosophi*, Graeci inprimis et Romani, tollere conarentur, in his viri praestantissimi et admirandi; tamen et inter se discordes erant, et ad errores saepe non leves delapsi, sapientiam suam populis parum probabant. Florebant certe hoc tempore *Academicorum*, *Stoicorum*, *Peripateticorum* atque *Epicureorum* scholae atque dogmata *c*). Sed tamen *ingeniorum litterarum* atque *artium liberalium* laude haec aetas superiores omnes vincebat *d*).

a) *Tacitus* Annal. I, 2 sq. Hist. I, 1. *Suetonius* in Augusto. *Dio. Cass.* Hist. L. LIII. sq. alii.

b) *Ger. Io. Vossius* de Theologia gentili, s. de Idololatria. *Frid. Creuzer* Symbol. et Mythol. Veter. germ. scripta.

c) v. *Cicero* Libris de Nat. Deorum, de Officiis, et aliis libris. *Caesar* apud *Sallust.* Bell. Catil. *Lucretius*. *Virgilius* et *Horatius* in Carminibus. *Bruckeri* Hist. Crit. Philos. *Tob. Pfanneri* Syst. Theol. gentil. purioris.

d) v. *I. A. Fabricii* Biblioth. Graecam et Latinam.

§. II.

Et Iudaicae gentis.

Iudaeorum contra gens intestinis dissidiis ab annis plusquam sexaginta eo redacta, ut Romanis et Idumaeis principibus, atque inter hos tum *Herodi*, *Antipatri* filio, qui *Magnus* dictus est, serviret

ret *a*), una quidem inter omnes *verae religionis formam* certa servabat et idololatriae inimicissima; sed eandem falsis sententiis, v. c. de pietate in *caerimoniarum* accuratissima observatione sola quaerenda; de *Servatore* civilibus tantum malis suis exspectando; de *spe salutis* neganda ceteris gentibus, *adulteratam*. Eadem religio *latius* quidem multo quam superioribus seculis *per gentes patebat*; verum et *dissensionibus* gravissimis iacebat exagitata. Nam praeter ingens odium, quo *Iudaei* in *Samaritanos*, ortos ex Israelitarum reliquiis et gentilium coloniis, proprioque sibi templo utentes *b*), ferebantur, ipsi doctores Iudaeorum in sectas scissi erant, quae reliquum populum ad se pertrahebant. *Pharisaei* legis Mosaicae, innumeris a se scitis auctae, severi observatores, et specie sanctitatis externae apud plebem gratiosi; primoribus gentis accepti erant *Sadducaei*, a religionis patriae scitis quibusdam primariis alieni. Ab utrisque diversi *Essaei*, qui urbes, munera publica et coniugium fugientes, in agris ac silvis Deo et sibi vivebant *c*). His adfines fuisse videntur *Therapeutae*, per Aegyptum colentes *d*), qui a nonnullis non pro diversis ab Essaeis habentur.

a) *Matthei* II, 1. *Iosephi* Archaeol. L. XIV. c. 1. sq. c. 26 sq. L. XV et XVI. L. XVII. c. 1 10. *Idem* de Bello Iud. L. I. c. 4 sq. *Maccab.* L. IV. c. 34 sq. *Tacit.* Hist. L. V. c 2 — 9.

b) 2 Reg. XVII, 24 sq. *Ioan* IV, 9. VIII, 48. *Ioseph.* Arch. L. XI. c. 8. XIII. 6. et aliis locis. *Waehneri* Antiquitt. Ebraeor. Vol. II. p. 750 sq.

c) *Matth.* XXIII, 2 sq. *Actor.* XXIII, 6 sq. *Ioseph.* l. c. XIII, 9. XVII, 3. XVIII, 1. 2. inprimisque de Bello Iud. II. 7. p. 784 sq. ed. Colon. 1691. *Trigland.* Syntagma de tribus sectis Iudaeor. Delph. 1703. 4. *Waehner* l. c. p. 758 sq. *Carpzovii* Apparatus ad Antiquitt. S. Codicis, p. 173 sq.

d) *Philo* de vita contemplativa. *Euseb.* Hist. Eccl. L II, c. 17. qui perperam Christianos facit, *Scaliger* in Elencho Trihaeresii Serarii, in Syntagm. Trigland. et alii apud *Carpzov.* p. 237 sq.

§. III.

§. III.

Iesus nascitur.

Hoc rerum statu, annis prope MMMM ab O. C. anno V. C. DCCXLIX, quod vero proximum est credere, hoc est, ante aeram vulgarem seu *Dionysianam* IV a), natus est *Bethlehemi* in Iudaea ex virgine *Maria*, *Davidicae* gentis, *Iesus*; quo mense et die, non constat. Cuius quidem dubitationis b) caussae graviores edi possunt c), quam ut facti ipsius certitudo anceps videri debeat: quod etiam nemo unquam, ne infensissimus quidem christianae religionis hostis, negare ausus est.

a) *Matth.* II. *Luc.* II, 1. III, 1. 23. quibus locis quae attinguntur rationes chronologicae, ad stabiliendum huius natalis annum iam parum faciunt; illi autem aetati prorsus satisfaciebant. De varietate sententiarum super eo exortarum v. *Frid. Spanhemius* in Chronolog. S. p. 206. Opp. T. I. *I. A. Fabric.* Bibliogr. Antiquar. p. 265. ed. a. 1760. Add. *Anton Bynaeum* de natali Iesu Christi, Amstelod. 1689. 4. *Vhlandium*, *Wernsdorfium*, *Idelerum.*

b) Eam seculo iam secundo exeunte regnasse inter Christianos, docet locus *Clement. Alexandr.* Stromat. L. I. p. 339. 340. ed. Colon. a. 1688.

c) Quas inter fere princeps fuerit, quod aera Christiana multis demum post C. N. seculis constituta, et serius etiam publice usurpata est. Neque Natalis Domini ante Sec. IV. publica religione celebrari coepit.

§. IV.

Historia pueritiae et adolescentiae eius.

Ingressus est autem orbem *Iesus*, plurimis et clarissimis documentis instructus divinae originis, eiusdemque ad homines auctoritatis. Natum *angeli coelestes* salutem adferre mortalibus nunciarunt

runt. *Magi* divinitus excitati ad eum visendum et colendum e longinquo accurrerunt. *Commoti* eorum adventu *Rex et populus* Iudaeorum, explorantes intellexerunt certissime, et *locum*, *et tempus*, et alia omnia respondere exspectationi dudum de Messia conceptae. *Servatus* ab *Herodis* insidiis est *divina providentia*. Duodecim annos natus *in templo Hierosolymitano* admirandae sapientiae specimina edidit. Inde cum permultos annos *apud parentes* latuisset, *circa aetatis annum tricesimum*, *Iohannis* voce solenni commendatus, praeparati ad eum recipiendum animi, vereque divinitus *initiatus est rebus maximis* docendis et gerendis, quas ab eo tempore agressus est.

*) *Matth.* II, 1 sq. III. IV. *Marc.* C. I. *Luc.* II — IV. Conficta sequioribus seculis acta pueritiae et adolescentiae *Iesu* comprehensa sunt scriptis quibusdam, quae collegit *Io. Alb. Fabricius* Codice Apocrypho N. Test. Tom. I. Primam hanc aetatem, imo omnem fere vitam Iesu inter homines, egregie illustrat *Casaubonus* Exercitt. in Baronii Annales. Adde interpretes historiae euangelicae, scriptae quidem ad ordinem temporum; sed intermixtis etiam, quae ab eo deflectant, prout ea cuique auctorum suppeditabat memoria.

§. V.

Religio ab eo proposita.

Summa religionis ab eo traditae in eo sita erat, ut *naturalem* quidem *omnem*, *Iudaicae capita ea confirmaret*, *quae repetita e naturali*, *et omnibus gentibus ac regionibus accommodata* essent; sed eidem etiam multum sane *perspicuitatis* et *roboris* adderet; quae essent in ea *male intellecta*, *emendaret*, et amplissimas *spes* ab ea excitatas *expleret*. Itaque non modo, *Deum unum* a) colendum esse, sed etiam, quod obscurius norant Iudaei, pari dignitate *Patrem*, *Filium et Spiritum sanctum* b); *se* quidem hunc *Filium Dei esse* sin-

gulari prorsus ratione, *et primum* omnium verissime *patefacere naturam*, virtutes, consilia et opera *Patris* c); *Spiritum* autem *Sanctum* et a Patre et a se mittendum esse, doctorem praestantissimum d); porro *omnes* omnino *homines*, non solos Iudaeos, *religionis suae capaces*, et a Deo *perenni saluti destinatos* esse e): *ab hac* illos adipiscenda *erroribus*, levitate et animi vitaeque corruptione *arceri* f); hinc *se* iam *promissum* a tanto inde tempore *Servatorem generis humani* adesse g), et Filium Dei, et eundem sine dubio *hominem verum*, sed *peccato minime obnoxium* h); hoc vero tantum opus perfecturum se et *voce*, et *exemplo*, et *morte pro hominibus* suscipienda i); se profecto non modo *Reparatorem felicitatis humanae* esse, per quem omnes homines a pernicie liberari, et ad vitam aeternam restitui possint k), verum etiam *felicitatis eiusdem Datorem*, qui, sublatus in coelum ad consortium maiestatis et imperii paterni, genus humanum singulari providentia recturus, adiuturus, et ad salutem a se adquisitam esset adducturus l), ac denique in fine rerum humanarum, *omnes homines e morte* ad vitam aeternam *suscitaturus* m), et *cuique sortem fatorum perpetuam* pro ratione vitae in his terris actae *tributurus* esset n); *abolendos* ergo esse tot *ritus* et *imagines* huius beneficii sui, quas adhuc Iudaica Ecclesia pro illo ipso secuta fuerit o); hanc autem opem a se ferendam non modo assensu et *fiducia* certissima p) prosequendam esse; sed maxime *emendato animo* et *morum sanctitate* ad usus perpetuos transferendam, docebat q).

a) *Matth.* XIX, 17. *Io.* XVII, 3.

b) *Matth.* XXVIII, 19. *Io.* V. 21 — 23.

c) *Matth.* XI, 27. *Io.* III, 16. 18. V, 17 sq.

d) *Io.* XIV. 26. XV, 26.

e) *Io.* III, 16. *Matth.* XIII, 37, 38. *Luc.* XIII, 28 — 30.

f) *Io.* III, 6. VIII, 21. 24.

g)

g) *Matth.* XX, 28. *Luc.* XIX, 10. *Io.* III, 16. 18. V. 30. VI. 40. VIII, 12.

h) *Io.* VIII, 46.

i) *Matth.* XI, 28 sq. *Luc.* XVIII, 31 — 33. *Io.* III, 16. IV, 34. X, 12. XIV. 6.

k) *Io.* III, 15. 16.

l) *Matth.* XXVI, 64. XXVIII, 18 — 20.

m) *Io.* V, 24. 28 sq.

n) *Matth.* XXVI, 31 sq.

o) *Matth.* XII, 8. *Io.* IV, 21.

p) *Io.* III, 16. 18. 36. VI, 29.

q) *Matth.* IV, 17. V, 3 sq. VII, 21. *Marc.* I, 14. 15. *Io.* VIII, 31.

§. VI.

Eius bona, ritus, officia.

Neque enim se *peritura* corporis *bona* mortalibus *adquisiturum* spondebat; sed quae ad animum et vitam ipsam post fata instantem *vim sempiternam* haberent; primum quidem salutarem *scientiam*, *fidem*, *virtutem*, *spem* certam, *animique tranquillitatem* a); deinde in *morte conversationem* et liberationem ab interitu b); denique in altero seculo *vitam aeternam*, et supra omnem exspectationem, beatissimam c); *civitatem* etiam seu societatem hominum, se auctore condendam, prorsus *coelestem* esse volebat, et mente fruendam d); *cultum* vere a civibus eius *Deo tribuendum*, eodem de fonte derivandum, *nec* multis aut solis *ritibus spectabilem* e); qui *initiari* tantorum iurium ac beneficiorum usu velint, iis aqua pura ablutis profitendam esse fidem, reverentiam et cultum Patri, Filio et Spiritui Sancto, ad normam a Filio publicatam omni vita praestandam f); qui *confirmari* in huius fidei et pietatis constantia cupiant, iis panem et vinum precibus sacratum, efficacissima

ad memoriam meritorum Servatoris recolendam symbola, pignusque fidei, et incitamentum virtutis, inprimisque amoris in eum capienda esse *g*); ceterum *omnia officia* ab illis obeunda *novis* et gravissimis *stimulis munienda*, *amori* in Deum et homines *superstruenda*, *evehenda in sublimius*, et beatae *aeternitati* sperandae *consecranda* esse *h*), praecipiebat. Certe plane hoc agebat, ut *homines Deo quam simillimos* efficeret *i*). In primis enim *his dotibus divinam prorsus doctrinam moralem* tradebat, quod esset cum ipsa *fide et religione arctissimo nexu coniuncta*; *principio amoris* humanae naturae uno omnium convenientissimo, niteretur; *auctoritate divina*, *populari docendi forma*, *exemplo* denique, quod ipse ostendebat, *virtutis perfectissimo* emineret. Orationis vero genere utebatur mixto e *parabolis* in Oriente adamatis, et *proprio* atque perspicuo *sermone*; *Iudaeorum* tamen *formulas* non defugiente.

a) *Matth.* VI, 19. 20. 33. *Io.* VI, 63. XIV, 27.
b) *Io.* VI, 40. 47. XI. 25. 26.
c) *Io.* VI. 51. VIII, 51. X, 27 sq. XI. 25 sq.
d) *Matth.* XX, 22 sq. *Luc.* XXII, 25. *Io.* VI. 15. 35.
e) *Io.* IV, 23. 24.
f) *Io.* III, 5. *Matth.* XXVIII, 19. 20.
g) *Matth.* XXVI, 26. *Luc.* XXII, 19 sq.
h) *Matth.* V. 20 sq. 44. VI, 9 sq. 33. XXII, 37, 38, 39. XXV, 31 sq. *Io.* XIV, 2. XIII, 34. XV, 12
i) *Matth.* V, 48.

§. VII.

Eam veram et divinam esse docet Iesus.

His fidem facturus *Iesus*, non modo *probabilem* hanc religionis formam esse suadebat, *consiliorum* perpetua quadam *honestate et salubritate*; sen-

sententiarum omnium aptissima inter *se connexione*; earumdem *utilitate* certa ad *omnes omnino homines* pertinente; *auctoritate* denique dubitationis cuiusvis experte *a*); sed eamdem etiam *unice veram* et *divinam* esse, superior omnibus religionum conditoribus, efficiebat. Nam et accurate *evenisse quaecumque de se* a tot inde seculis *per vates Iudaicos*, scriptis, ritibus et factis *nunciasset* orbi *Deus*, ostendebat *b*); et *miracula* publice innumera edebat, potentia edentis, magnitudine, beneficentia insignia, spectantibus et in ea inquirentibus Iudaeorum plerisque, hostibus, magistratibus *c*); et *multa* sibi, suis, religioni suae atque hostibus, eius *instantia* per omnes hominum aetates *fata* nequaquam fallax propheta praedicebat *d*); et *sanctissima vitae integritate e*), summum pondus dictis actisque suis addebat. *Novam* vero *religionem* tradidisse, quo pacto vel dici vel negari possit, facile intelligitur *f*).

a) *Io. Alphons. Turretini* Diss. de charactere Christi et Apostolorum, in Dilucid. philos. theolog. II, 150 sq. *Edm. Law* de vita et charactere Christi, in Meditatt. supra laudatis. *Franc. Volcmar. Reinhardi* lib. germ. de consilio Christi in relig. constituenda.

b) *Luc.* XXIV. 26. 27. *Io.* V. 39.

c) *Matth.* IV, 23 sq. XI. 6. *Io.* X, 18. *Herm. Witsius* de miraculis Iesu, in Meletemat. Leidens. p. 330 sq. alii.

d) *Matth.* X, 17 sq. XVII. 22 sq. XXI. 43. XXIII, 37 sq. XXIV, 2 sq. 25 sq. XXV, 31 sq. XXVI, 32, 34. *Luc.* XIX, 41 sq. XXIV, 49. *Io.* XIV, 26.

e) *Io.* VIII, 46.

f) *Euseb.* Hist. Eccl. L. I. c. 4.

§. VIII.

Reliqua omnia ex consilio divino perficit.

Ita *versatus inter Iudaeos*, quibus primi tantarum rerum fructus sapientissimis de caussis debe-

bebantur a), *per triennium*, et quod excurrit, diffundente se licet fama operum eius ad *vicinas* quoque gentes b), minorem quidem, quam iusta exspectatio ferebat, populi illius, falsis opinionibus in transversum acti, plausum consecutus est; sed eum tamen, ut longe plurimos ex omni genere nancisceretur adseclas. Tandem post multas hostiles vexationes, *extremo supplicio*, quod praedixerat, *sponte se obtulit*, mortemque expiandorum apud Deum hominum caussa, annos natus XXXIII obiit, testem maiestatis suae c). Verum idem, tertia die post, ut maximo omnium miraculorum suorum confirmaret sua omnia, *sepulchrum egressus*, amicis suis novo robore instructis, et promissa in perpetuum ope sua, spectari inter homines desiit d): dignissimus iam qui auctor salutis eorum (*Iesus*), et regni coelestis conditor (*Messias* seu *Christus*) diceretur.

a) *Matth.* X, 5. 6. XV. 24.

b) Spuria tamen sunt acta et epistolae, quae *Iesu* et Abgaro, Edessenorum Principi, apud *Eusebium* (Hist. Eccl. L. I, c. 13) tribuuntur.

c) *Matth.* XXVI. XXVII. *Io.* XVII. XVIII. XIX.

d) *Matth.* XXVIII. *Luc.* XXIV. *Io.* XX. XXI. *Tho. Sherlokii* Examen iudiciale testium reditus Iesu in vitam ex Anglico germanice redditum. De *fide* actorum *Iesu* perpetuo crescente. Add. *Hessii* Historiam extremi triennii a Iesu in orbe acti, germanice scriptam.

CA-

CAPVT II.

Historia actorum scriptorumque a primis Religionis Christianae post Iesum Christum doctoribus.

§. I.

Apostoli primarii post Iesum Christum religionis doctores.

Quae autem feliciter coeperat *Iesus*, religionis suae stabiliendae caussa, ea ut per omne aevum accurate propagarentur, studiose curavit. Nam ex omni discipulorum numero *duodecim* delegit [a]), *dictorum factorumque suorum testes* perpetuos et fidissimos, ac tanto praestantiores *religionis suae doctores* futuros: unde *legati* eius ad homines (*Apostoli*) dicti sunt. Quos ille *nec potentes, nec divites, nec ingenio, doctrina et eloquentia excellentes* esse voluit, quippe piscatores, portitores, et his similes, ne progressus laborum ab iis suscipiendorum his praesidiis repeterentur [b]); sed *sua institutione, religionis* ipsius *virtute divina*, et *facultate* multa *humanis viribus maiora patrandi* instructos, satis ad obeundum munus suum paratos iudicavit. Eorum nomina haec edita sunt [c]); *Simon Petrus*, frater eius *Andreas*, *Iacobus maior*, Zebedaei filius, *Iohannes*, frater eius, *Philippus*, *Nathanael*, qui et *Bartholemäus*, *Thomas*, qui et *Didymus*, *Matthaeus*, *Iacobus minor*, Alphaei filius, *Iudas Thaddaeus* seu *Lebbaeus*, *Simon Cananaeus*, et *Iudas Ischariota*. Primus quidem inter eos semper recensetur *Petrus*; sed satis tamen constat, omnes aequali auctoritate et dignitate fuisse, redarguente ipso *Iesu* ambitiosius eorum eminendi regnandique studium [d]).

a) *Marc.* III, 14. *Luc.* VI, 13 sq. *Io.* I, 40 sq.

b) *Matth.* XI, 25. 1 *Corinth.* II, 1 sq. *Origenes* advers. Celsum L. I. n. 62. p. 376. T. I. ed Ruaei.

c) *Matth.* X, 1 sq. *Marc.* et *Luc.* II. cc.

d) *Luc.* XXII, 24 sq. Legendi de Apostolis eorumque munere, post Actus et Epistolas eorum, *Eusebium*, Hist. Eccl. L. II. et III et *Hieronymum*, Catal. Scriptt. Eccles. c. 1 sq. *Ludov. Cappellus* in Historia Apostolica, Lips. 1691. 8. et *Frider. Spanhemius* filius, Dissertatt. de Apostolis, Opp. Tomo II,

§. II.

Initia muneris eorum et collegarum.

Hos ille superstes apud homines faustum docendi inter miracula periculum facere iussit a); mox, recepto imperio coelesti, postquam iis, sublato e vivis *Iuda Ischariota* b), *Matthiam* c) adiunxisset, *illustrioribus* etiam, quas promiserat, *divini Spiritus dotibus* auxit et ornavit: in his, quod multi existimant, *dono linguarum*, quas numquam didicissent d). Accessit deinde *Paullus*, *gentilium* inprimis *doctor* futurus, mirabili modo ad haec sacra perductus e). Sed additi etiam Apostolis *septuaginta* alii *Christi discipuli*, iisdem fere virtutibus praediti, qui et ipsi antea illarum experimentum ceperant ex mandato eius f), iam Apostolis iuncti, *Euangelistarum*, hoc est laetissimi de salute per Christum parta nuncii praeconum, et *Prophetarum*, seu qui sacras litteras interpretarentur, partim etiam futura praedicerent, nomine comprehensi g). Confestim igitur, cum his Apostoli ad *doctrinam Christi Iudaeis*, paullo post etiam *Ethnicis*, *commendandam* conversi, ingentem eorum multitudinem eadem initiarunt h).

a) *Matth.* X. 5. *Marc.* VI, 7,

b) *Matth.* XXVI, 3 sq,

c) *Act. Apost.* I. 26.

d) *Act. Apost.* II, 4 sq. *Io. Aug. Ernesti* de dono linguarum,

rum, in Opusc. theologicis, p. 455. sq. *J. G. Rosenmülleri* Scholia in N. T. Tom. II. ad Act. Ap. C. II. *Eichhornii* Biblioth. litterar. bibl. germ. scriptae, T. III. p. 238 sq. alii.

e) *Act. Ap.* c. IX. *Rom.* XI, 13. *Io. Pearsonii* Annales Paullini, in Operibus eius posthumis. *Herm. Witsii* Praelectt. de vita Paulli Apost. in Meletem. Leidens. p. 1 — 246. *Christ. Guil. Thalemanni* Diss. de eruditione Paulli Iudaica, non Graeca.

f) *Lucae* X, 1 sq. Eorum nomina ignorantur: quaedam ex vulgari traditione commemorat *Eusebius* Hist. Eccl. I, 12.

g) *Act. Ap.* XXI, 8. 1 *Cor.* XIV, 1 sq. *Ephes.* IV, 11. *Io. Laur. Moshemius* de prophetis ecclesiae Apostolicae, in Dissertt. ad Hist. Eccles. pertinentib. V. II. p. 132 sq.

h) *Act. Apost.* II, 14 sq.

§. III.

Religio ab iis tradita vere Christiana.

Parem autem *cum magistro* et *religionis formam* et *tradendae methodum* secuti, hoc tamen simul egerunt, ut eam accommodate ad homines, inprimisque ad tollendos gentilium errores, ad tempora sua et rerum vicissitudines, natasque super ea inter primos illius asseclas, iam *Christianorum* nomine insignes a), controversias, exponerent, atque adeo de nonnullis huius religionis capitibus copiosius et distinctius, quam ipse auctor illius, quod nos quidem sciamus, fecisset, tamen ex ingenio eius disputarent. Quo pertinent, quae de *peccatorum* in humano genere *origine* b); de *via ad salutem* perveniendi, *Gentilibus* aeque ac *Iudaeis patente* c); de *abrogandis legibus cultus Mosaici* d); de interpretatione formulae, qua *epulum dominicum* institutum est e), inprimisque de *plurimis Christianorum officiis*, et *ad interpretationem sacrarum litterarum*, *Iudaicaeque Legis cum Euangelio comparationem* facientia, apud eos leguntur. Accuratius etiam et uberius de *divinitate Ie-*

su et Spiritus divini, de *felicitate humana per Iesum consequenda*, de *resurrectione mortuorum*, aliisque dogmatibus, disseruerunt, quam a magistro eorum factum erat. Neque vero ullus suspicioni locus est, *Christi* discipulos vel *ignorasse* doctrinam eius, vel *male cepisse*, vel denique *corrupisse*.

a) *Act. Apost.* XI, 26.
b) *Rom.* V, 22.
c) *Rom.* X, 12. *Galat.* III, 28.
d) *Rom.* IX. X. *Galat.* C. III.
e) 1 *Corinth.* X. XI.

§. IV.

Eadem litteris consignata.

Itaque in eo quoque sapienter consulit humano generi *auctor religionis Christianae*, ut, cum ipse *nihil* de se suisque sententiis *in litteras referret* a), exstarent tamen non pauca *monumenta litterata*, quae integerrima fide, quidquid *de ortu, natura et caussis religionis suae* posteritati cognoscendum esset, complecterentur, ne illa umquam tota corrumpi aut interire posset. Divinitus enim excitati et moniti partim ex Apostolis quidam, partim ex eorum amicis et discipulis, qui non dissimilem docendi facultatem nacti erant, alii ab a. C. XLI. *commentarios de vita, dictis et actis Iesu Christi, deque rebus gestis ab Apostolis*, praesertim *Paullo* et *Petro*, condiderunt, *ut Matthaeus, Marcus, Lucas* et *Iohannes*; alii, ut *Paullus, Petrus, Iohannes, Iacobus* et *Iudas*, *epistolas ad ecclesias* a se fundatas, aut *ad Christianos nonnullos*, perscripserunt, confirmandis in suscepta fidei professione; adiunctis etiam, quod singulari libro fecit *Iohannes*, *de fatis religionis et ecclesiae Christianae* non paucis *vaticiniis* b). Quibus libellis cum ad

ad verissimam certitudinem et perspicuitatem in summa rei sitam nihil omnino deesset: subinde etiam *a Christianis*, auctores eorum agnoscentibus, *recepti sunt*. Certe recognitis et probatis *Matthaei*, *Marci* et *Lucae* Euangeliis, suum addidisse traditur *Iohannes* c); reliqui etiam horum scriptorum libri ab iis, quorum caussa praecipue scripti fuerant, pedetentim ad plures transierunt. Atque ita natus est sensim, qui dicitur *Canon N. Test.* seu *catalogus* et *recensio* librorum devinorum rei Christianae d), quos *graece* editos esse omnes, dubitari vix potest. *Haeserunt* quidem in *nonnullis Apostolorum epistolis* et *Apocalypsi Iohannea*, Christiani *quidam coetus et doctores*, ad exitum usque huius aetatis; sed iis de caussis, quae et sponte e Christianorum statu nascerentur e), et argumentum horum libellorum rarius tangerent; fuitque ea dubitatio valde salutaris rei Christianae, cavendo, ne vel credula levitate, vel fraude quorumdam, multitudine falsarum et ineptarum narrationum de hac religione obrueretur.

a) Noluisse quosdam gentilium Euangelio credere, quod non esset ab ipso Christo conscriptum, docet *Augustinus* Retract. L. II, 16, de consensu Euangel. L. I, c. 7. De caussis huius rei disputat *I. Georg. Michaelis* in Exercitt. theolog. philolog. Exercit. I. Pseudepigrapha *Christi* recensuit *Ittigius*, *Grabius* et *Fabricius* Cod. Apocr. Nov. Test. qui et ἄγραφα Christi dicta collegerunt, de quibus accuratius egit *Io. Godofr. Koerner* libello singulari.

b) *Irenaeus* adv. haeres. L. III. c. 1. *Euseb.* Hist. Eccles. L. III. c. 24. 25. 39. L. V. c. 8. *Io. Millius* in Prolegomenis ad Novum Testamentum. *Io. Dav. Michaelis* in Isagoge ad N. Foed. libros, germanice scripta.

c) *Euseb.* Hist. Eccl. L. III. c. 24.

d) v. *Io. Basnagii* Hist. Eccles. gallice scripta, T. I. L. 8. *Io. Richardsoni* libellus anglicus de Canone Nov. Test. *Gerh. a Mastricht* ac *Ferd. Stoschii* eiusdem argumenti libri latini; *Io. Sal. Semleri* liberior de Canone Disquisitio, germanice edita, et *C. F. Schmidii* Historia antiqua Canonis.

e)

c) Euseb. Hist. Eccles. L. III, c. 28. L. VI. c. 20, 25. L. VII. c. 25.

§. V.

Symbolum Apostolicum, aliaque falso Apostolis tributa.

Cito enim factum est, ut non modo libelli de vita *Iesu Christi* ab obscuris hominibus plurimi publicarentur a); sed etiam *Apostolis* atque eorum amicis *assignarentur scripta* de religione, cultu Dei publico, disciplina ecclesiastica, alia, quae ab eorum nomine commendationem acceptura essent. Pleraque tamen vel manifesta *fraudis* (quae postea satis impie *pia* dicta est) *indicia* b) ostendunt, vel *nullo antiquitatis testimonio* certo nituntur. Eminent inter ea *Constitutiones Apostolicae* (*Διαταγαὶ* vel *Διατάξεις τῶν Ἀποστόλων*) *Libris* VIII et *Canones Apostolorum* LXXXV. Leges sunt ecclesiasticae, sub exitum Seculi III. christiani collectae c). Deinde a Seculo IV. professio fidei quae edebatur a baptizandis, et ipsa ab Apostolis repetita est, ut adeo *Symbolum Apostolicum* appellaretur d), ea maxime forma posteritati commendata, quam *Romana* et *Aquileiensis* Ecclesiae tenuere.

a) *Luc.* I, 1.

b) *Tertullian.* de baptismo c. 17. *Moshem.* Diss. de caussis suppositorum librorum inter Christianos Sec. I. et II. in Dissertt. ad Hist. Eccl. pertin. Vol. I.

c) Leguntur in *Io. Bapt. Cotelerii* Patribus Apostolicis Vol. I. Amst. 1724. fol. conf. *Io. Dallaeum* de pseudepigraphis Apostolicis; *Fabricium* in Cod. Apocr. Nov. Test.

d) *Rufinus* in Expositione Symboli, cuius narrationem primus abiecit *Valla*. *Gerh. Io. Vossius* de tribus Symbolis. *Petri Kingii* Historia Symb. Apost. *Io. Pearsonii* Expositio Symb. Apostol. et *Herm. Witsii* Exercitt. S. in S. Ap.

§. VI.

§. VI.

Coetus ab iis conditi.

Sed Apostoli et collegae eorum hos fructus laborum, innumeras inter molestias et praesens vitae discrimen, exhaustorum tulerunt, ut *florentissimae plures*, per *Asiae et Europae* provincias nonnullas, forte et in *Aegypto*, *Christianorum Ecclesiae* surgerent, maxime in Palaestina, Syria, Asia minore, Macedonia, Graecia, insulis quibusdam, et Italia [a]); quas inter clarissimae *Hierosolymitana* [b]), *Antiochena* [c]), et *Romana* [d]), mox et *Alexandrina* [e]), cum aliis, quas epistolae Apostolicae nobilitarunt. Nec satis habuerunt Apostoli, condendis et confirmandis his Ecclesiis operam dedisse; sed iis etiam *doctores perpetuos* et leges quasdam de *forma sacrorum externa*, summa tamen usi *moderatione*, neque eversa libertate Christianorum, tribuerunt *f*); sanctitatis et constantiae perpetuum discipulis suis exemplum. Permulta de actis et morte eorum confinxit posteritas. Qui longissime inter eos vitam provexit *Iohannes*, anno fere post C. N. centesimo, aut centesimo primo ex ea migravit *g*).

a) v. Actus Apostolicos a cap. secundo, quo quidem libro inprimis *Paulli* itinera, post hunc et *Petri* quaedam gesta, enarrantur. Reliqua veriora habent partim Epistolae Apostolor. partim *Irenaeus* adv. haeres. L. III. c. 3. *Euseb.* Hist. Eccl. L. III. c. 1 — 3. L. V. c. 10. conf. *I. A. Fabricii* Salutaris lux Euangelii toti orbi exoriens, Hamb. 1731. 4.

b) *Mater Ecclesiarum* dicta, quam imitatae sunt reliquae, postea *Pellam* translata. *Euseb.* Hist. Eccles. L. III. c. 5.

c) *Act. Apost.* XI, 20 sq.

d) In qua statim inde a natalibus suis stabilienda primariae partes fuere *Paulli*. *Act. Apost.* XXVIII, 31. *Rom.* I. 5 sq. coll. XV, 19. 20.

e) Quam *Marcus* Euangelista fundasse videtur. *Euseb.* H. Eccl.

Eccl. L. II. c. 24. conf. *Eutychii* Origenes Ecclesiae Alexandr. Lond. 1642. 4.

f) *Act. Ap*. XIV. 23. XV. 23 sq. ubi memorabilis controversia; Apostolorum et reliquorum Christianorum Eccl. Hieros. auctoritate composita legitur. 1 *Corinth*. IV, 1 sq. V. 3 sq. VII. IX. et aliis locis Epist. Apost.

g) *Euseb*. Hist. Eccl. L. III. c. 1. *Hieron*. Catal. Scriptr. eccl. c. 9.

§. VII.

Ecclesiae Christianae gubernatio.

Atque ita *condita* est ab Apostolis, ex *Iesu Christi* auctoritate, *Ecclesia Christiana*, distincta prorsus a Iudaica, cum qua per ipsos Iudaeos non licebat amplius Christianis communionem alere *a*). Servavit tamen illa non pauca ex *Synagogae Iudaicae* conformatione *b*). Sed in illa regenda tanto minus species aliqua *imperii civilis ad unum delati* obtinuit; quanto fortius eam repudiavit *Christus* ipse, iubens Apostolos inter se aequales esse *c*); cuius etiam hi mandata in eo accurate secuti sunt *d*). Et quem *Petro* honorem tribuit *e*), ad eius confessionem de *Christo* spectare, eadem apud *Paullum* imago docere potest *f*). Nec quidquam occurrit in omni historia Euangelica et Apostolica, aut in Epistolis Apostolorum, quod suadeat, *Primatum* aliquem *in Ecclesia* tenuisse *Petrum*; longe plurima, quae contrarium doceant *g*). Cum autem *princeps*, hoc est, *primus* inter Apostolos dictus sit *Petrus*; idem cum Paullo doctorem Ecclesiae Romanae egerit sub vitae exitum *h*); haec vere a seculo secundo post C. N. dignitate urbis et numero civium una maxime exsplendesceret inter ceteras ecclesias: nata est sensim traditio, quam vel temporum ratio *i*), et muneris Apostolici natura *k*), falsitatis arguunt, *Petrum Romanae Ecclesiae* Episcopum fuisse, idque *per annos viginti*

ginti quinque; quod vergente Seculo IV. primum in litteras relatum est *l*). Adiecit sequior aetas, eundem Apostolum *divino iure*, Episcopis Romanis concesso, *rexisse* et *iudicasse omnes Christianorum Ecclesias*. Ita denique ad *eius successores*, qui putabantur, translata eadem potestatis opinio *m*). Verum Apostolos non modo iunctim pari dignitate gubernasse Ecclesias; sed hoc etiam fecisse non inconsultis religionis doctoribus; imo ne plebis quidem christianae iuribus spretis, superior historia confirmat. *Cyprianus* autem, qui *unitatis Ecclesiae originem* a *Petro* deducit, *omnibus Apostolis parem* cum eo *potestatem* adsignat *n*).

a) *Act.* IV, 3, XXI, 27. cet.

b) *H. Grotius* ad Act. XI, 30. *Camp. Vitringa* de Synagoga vetere, LL. III. Leucop. 1726. 4.

c) *Luc.* XXII, 25 sq.

d) 1 *Cor.* I, 12 sq. 1 *Petr.* V. 1 sq. et aliis locis.

e) *Matth.* XVI, 18. ad quem locum conf. *Suiceri* Thes. Eccles. v. *Πέτρα*.

f) *Ephes.* II. 20.

g) v. c. quod in conventu Ecclesiae Hierosolymitanae praesedit *Iacobus*, *Act.* XV, 19. quod a *Paullo* severius reprehensus est *Petrus*, *Galat*, II. 11 sq. quod nulla mentio iniecta est *Petri* in Epist. *Paulli* ad Romanos, quod *Petrus* adeo nihil de Primatu suo, quem nosse Christianorum omnium longe plurimum intererat, in Epistolis suis tradit, ut potius Presbyteris se parem vocet. 1 Petr. V, 1. cet.

h) Hinc et Petrus et *Paullus* Episcopi Ecclesiae Romanae dicuntur *Epiphanio* Haer. 27.

i) Fuerunt hac de caussa, qui *Petrum* umquam in urbem Romanam venisse negarent, ut *Frid. Spanhemius* filius, Opp. T. II.

k) Quae etiam pugnant cum *Episcopatu Antiocheno*, quem tribuit ei *Hieronymus*. Catal. Script. Eccles. c. 16. ambiguitatem vocis *episcopus* parum cavens.

l)

l) *Hieronymus* in vers. Chron. Euseb. ad A. C. XLIII. et in Catal. Scr. Eccl. c. 1. *Rufinus* Invect. in Hier. L. II. p. 466. T. IV. Opp. Hier. P. II. ed Ben.

m) *M. A. de Dominis* de Republ. Ecclesiastica. *Dav. Blondellus* de Primatu in Ecclesia. *Claud. Salmasius* de Primatu Papae. *E. S. Cyprianus* Superint. Gothan. de ortu et progressu dominationis Pontificiae, libr. germ.

n) Lib. de unitate Ecclesiae, p. 107. et. Brem.

CAPVT III.

Historia Doctorum Religionis Christ. a morte Apostolorum ad Constantinum M.

§. I.

Creati ab Apostolis Presbyteri et Diaconi.

Sed ut tanto magis appareret, monarchiae, omninoque potestati civili locum in Ecclesia *Christi* non esse, constituti sunt ab Apostolis *ordinarii* et *perpetui Ecclesiarum doctores* et *inspectores*, pari inter se omnes auctoritate et dignitate, et cum quibus ipsi consilia amice componerent. Hi *Presbyteri* (זקנים) dicti sunt a), non raro etiam *Episcopi* b). Quos cum prima muneris destinatio *omnes ad docendos christianos vocaret* c); subobscura tamen quaedam vestigia vel hac aetate cerni existiment nonnulli discriminis inter *presbyteros docentes* et *regentes* Ecclesiam d). His additi ab Apostolis *Diaconi* seu *ministri Ecclesiarum*, qui *curam pauperum, aegrotorum et viduarum* gererent e). Nonnumquam et his, si *facultas docendi* inesset, ea uti licebat f). Mature etiam Ecclesiae, ut

ut foeminarum talis cura haberetur, *Diaconissas* seu *ministras* et *ancillas* publice constituebant *g*).

a) *Act.* XI, 30. XIV, 23.

b) *Act.* XX, 17. coll. v. 28. *Phil.* I, 1. 1 *Tim.* III, 1. sq. *Tit.* I, 5—9. *Hieron.* Comment. ad *Tit.* I, 5. *Dav. Blondelli* Apologia pro sententia *Hieronymi* de Episcopis et Presbyteris. Amst. 1646. 4. et antea *Walo Messalinus*, h. e. *Claudius Salmasius* de Episcopis et Presbyteris Dissert. I. Amst. 1641. 8. Quibus se opposuere *Hammondus* et *Petavius*.

c) Nam inter ceteras dotes episcopum vult esse διδακτικόν *Paullus*, 1 *Tim.* III, 2. conf. *Tit.* I, 9.

d) 1. *Tim.* V, 17. Sed vide *Grotium* de Imperio summarum potestatum circa sacra, p. 394. sq. Hag. Com. 1652. 8. *Presbyteri Doctores* apud *Cyprian*, ep. 29. ed Brem. 24. Pamelii, et ad h. l *Henr. Dodwellus* Dissert. Cyprianica VI. De discrimine inter Presb. et Episc. magna inter eruditos lis est v. *Bingham* Origg. ecclesiast. *Boehmeri* Dissertat. Iur. eccl. *Buddei* Dissert. de orig. et potestate Episcopor. in Syntagm. Denique *Gableri* Diss. de Episcopis Eccles. christ. etc.

e) *Act.* VI, 1 sq. 1 *Tim.* III, 8 sq.

f) *Act.* VI, 8 sq. VII. VIII. 5.

g) *Rom.* XVI, 1. 1 *Tim.* V, 9. *Casp. Zieglerus* de Diaconis et Diaconissis veteris Eccles. Viteb. 1678. 4.

§. II.

Ex Presbyteris orti Episcopi ab illis distincti.

Ineunte autem Seculo II. cum, amplificata re christiana, plurimi in maioribus coetibus presbyteri vigerent; ordinis autem, pacis, imo et salutis ecclesiarum interesset, pleraque quae ad eas moderandas spectarent, ad unum referri, forte etiam aliis de caussis, *unus presbyterorum* reliquis praefectus est, et solus iam dictus *episcopus a*). Sed *incerta* in *origine* huius muneris pleraque, manente etiam diu *ambiguitate vocis* apud ipsos scrip-

 tores

tores christianos *b*). Illud certum est, episcopos, qui iam proprio sibi nomine dicerentur, *non* tam *potestatem* in Ecclesiam, quam *curam universam et primariam* in docendo, monendo, administrandisque sacris et rebus aliis exercendam, tenuisse *c*).

a) Primos huius generis episcopos a Ioanne Apostolo constitutos esse vult *Tertullian.* adv. Marcion. IV, 5. conf. *Clemens Alex.* libro: Quis dives salvetur? p. 88. Suppl. Inig. Qui *Hierosolymis* primi fuerint, *Eusebius* docet, H. E. IV, 5. qui *Romae, idem* III, 2. 4. 13. 15. 21. V, 5. qui *Alexandriae* et *Antiochiae,* II, 24. III, 21. 22. Dubia maxime successio Episcoporum Romanorum, de qua *Io. Pearsonus* singulari libello exposuit in Opp. posthumis, et *Io. Phil. Baraterius* de successione antiquiss. Episcop. Rom.

b) Ita *Timotheus* primus Ephesi Episcopus dicitur *Eusebio* Hist. Eccl. III, 4.

c) Iura presbyterorum et universae plebis christianae salva fuisse etiam sub his episcopis, docent inprimis epistolae *Cypriani,* v. c. ep. 14 et 34. ed. Brem. vel Pamel. 6 et 28. cet. imo et Cleri Romani ad eum, inter Cyprianicas 30. ed. Br. (31. Pam.). Electi episcopi a clericis et plebe. *Cyprian.* ep. 55. Pam. 52. Munus eorum in cultu publico describit *Iustin. Martyr.* Apol. 1. p. 62 sq. ed. Thalem. Inprimis apud eos ius dandi baptismi erat. *Tertull.* de baptismo, c. VI. et docendi publice, seu *tractandi.* *Cypr.* ep. 55. Pam. 52.

§. III.

Patres Apostolici.

Primi horum doctorum cum ipsis Apostolis magistris et amicis usi essent, *Patres Apostolici* dicti sunt, pietate, facundia, et invicto religionis amore, quam litteris et ingenio, clariores. Principes ex his fuerunt: *Clemens Romanus,* ecclesiae huius Episcopus ab a. XCI. vel XCII., cuius superest *epistola ad Christianos Corinthios,* eidemque tribuuntur, sed exili fide, *altera ad eosdem epistola;* nulla autem, collectio *Canonum* et *Constitu-*

stitutionum Apostolicarum; Recognitionum Libri X, *Homiliae* XIX, itemque *epistolae duae syriacae a*); — *Barnabas*, e LXX discipulis *Christi*, et comes *Paulli*, cuius nomen falso prae se fert *epistola* quaedam *b*); — *Hermas*, quem non est credibile, scripsisse librum, qui *Pastor* dicitur *c*); — *Dionysius Areopagita*, primus Atheniensum Episcopus, cuius nomine conficta sunt opera non pauca, ut de *Hierarchia coelesti*, de *Hierarchia ecclesiastica*, de *Theologia mystica*, alia *d*); — *Ignatius*, *Antiochenus* Episcopus, cuius *septem epistolae* ad *christianas quasdam ecclesias* et *Polycarpum Smyrnensem* longas lites peperere, apparuitque tandem, etiam breviores earum, nisi ab alio scriptas, at certe interpolatas esse in gratiam episcoporum; laniatus a leonibus in amphitheatro Romano, a CVI. vel CXV *e*); — et *Polycarpus*, Episcopus ecclesiae *Smyrnensis*, qua in urbe necatus est a gentilibus a. CLXIX. auctor, si credere fas est, *Epistolae ad Christianos Philippenses f*).

a) *Paulli* Ep. ad Philip. IV, 3. *Euseb.* Hist. Eccles. L. III. c. 4. 15. 16. 38. coll. L. IV, 23. *Hieron.* Catal. Scriptt Eccles. c. 15. Quae ei adscribuntur omnia *Cotelerius* in Patribus Apostolicis collegit Volum I. exceptis Epist. Syriacis, quas primus edidit *Io. Iac. Wetstenius*, Lugd Bat. 1752. fol. Vtramque ad Corinth. epistolam Bibliothecae suae PP. Apostt inseruit *Tho. Ittigius*, Lips. 1699. editae octonis; optime recensuit *Henr. Wottonus*, Cantabrig. 1718. 8.

b) *Act. Apost.* XIII, 1 sq. XIV. XV. *Euseb.* H. E. III, 25. VI, 13. 14. *Hieron.* l. c. c. 6. Legitur epistola apud *Cotelerium*, Vol. 1. p. 15 sq. et *Ittigium*.

c) *Rom.* XVI, 14. *Euseb.* I. c. L. III, 3. 25. L. V. 8. *Hieron.* l. c. c. 10. Habet *Coteler.* l. c. p. 75 sq. conf. *Moshem.* Comment. de rebus Christianorum ante Constant. M. p. 163 sq.

d) *Act.* XVII. 34. *Euseb.* I. c. III, 4. Operum horum non ante Seculum IV. confictorum praestantior editio est *Balth. Corderii*, Antverp. 1634. fol. recusa Paris. 1644.

1644. *Io. Dallaeus* de scriptis, quae sub *Dionys. Areop.* et *Ignatii Antioch.* nomine circumferuntur. Genevae 1666. 4.

e) *Euseb* l. c. L. III. c. 22. 36. *Hieron.* l. c. c. 16. *Io. Pearsonii* Vindiciae Epistolar. S. Ignatii, et *Dallaei* liber modo laudatus. Et longiores et breviores harum epistolarum, imo et septem latinas aperte spurias, *Cotelerius* Volumine II. collectionis suae comprehendit, et variorum observationibus illustravit. Omnes etiam legere licet apud *Ittigium* l. c.

f) *Irenaeus* advers. haeres. L. III, 3. *Euseb* H. E. III, 36. IV, 14. 15. *Hieron* Cat. Script. eccles. c. 17. Epist. exstat apud *Coteler*. Vol. II. et *Ittigium*.

§. IV.

Reliqui Scriptores Christiani, iique Graeci, Sec. II.

Post istos Scholae Apostolicae Doctores, iisque proximi, floruerunt hoc aevo inter Christianos, ingenii, scriptorum, pietatis et meritorum fama, in *Ecclesia* quidem *Graeca* seu *Orientali*, hi inprimis Seculo II. *Iustinus Martyr*, seu *Philosophus*, Palaestinus, qui primus fere philosophiam graecam ad usus religionis christianae transtulit, et post multos labores huic dicatos capite plexus est Romae a. C. CLXIII vel CLXV, *duabus Apologiis*, quas *pro Christianis* scripsit, *Dialogo cum Tryphone*, (quem nonnulli eius esse negant,) et *Cohortatione ad Graecos*, h. e. gentiles, inprimis nobilis: nam alia eius opera, vel perierunt, vel, quae leguntur adhuc, suspectae sunt fidei *a*); — *Athenagoras*, Atheniensis philosophus, mortuus circa a. CLXXX, cuius *Deprecatio pro Christianis*, sed magis etiam libellus *de Resurrectione mortuorum*, merito suo laudantur *b*); — *Clemens Alexandrinus*, *Pantaeni*, viri egregii, discipulus et successor, Catecheta et Presbyter Alexandriae mortuus ante a. CCXX, graecae philosophiae cum reli-

religione christiana, ut haec gentilibus tanto magis placeret, penitus coniungendae auctor primarius; doctior tamen quam auctior, maxime *Stromatum* libris, ad quos viam sibi munivit *Exhortatione ad gentes Paedagogo* scribendis *c*). Iungendi his et *Papias*, Hierapolitanus in Phrygia episcopus, etsi minuti ingenii homo, cuius opera perierunt *d*); — *Tatianus*, Assyrius, *Iustini* M. discipulus, denique *Gnosticus*, mortuus circa a. CLXXVI, e cuius libris sola *Oratio contra Graecos* superat *e*); — *Theophilus Antiochenus* Episcopus, qui cum ad a. CLXXX. floreret, *Libris III ad Autolycum* scriptis, religionem christianam non male defendit *f*); — et *Hermias*, philosophus forte eiusdem aetatis, cuius *Irrisio philosophorum gentilium* non indigna est, quae legatur *g*).

a) *Tatian.* Orat contra Graecos, p. 157. 168. ed. Colon. 1686. *Euseb.* Hist. Eccles. IV, 11. 12. 16-18. *Hieron.* Catal. Scriptt. eccles. c 23. Quae ei tribuuntur omnia collegit editio Coloniens (vel potius Viteb.) a. 1686. fol. elegantius et accuratius, maiorique doctrinae apparatu Parisina, a. 1742. fol. curata a *Prudent. Marano.* Commendanda tironibus Apologiarum editio *C. G. Thalemanni* Lips. 1755.

b) *Methodius* apud *Epiphan.* haer. 65. *Philipp. Sidetes* in fragmento, *Dodwelli* Dissertatt. in Irenaeum p. 488. subiecto. Libelli eius quaerendi in editt. Iustini M. Coloniensi et Parisina. Eosdem edidit et illustravit *Ad. Rechenberg.* Lips. 1684. 1685. 2 Voll. 8. et Apologiam *Io. Gottl. Lindner,* Longosal. 1774. 8.

c) *Euseb.* Hist. Eccl. L. VI. c. 11. Praep. Euang. L. II, 9. IV, 16. *Hieron.* l. c. c. 38. Fragmenta operis deperditi *Hypotyposeon* quaedam servavit *Euseb.* Hist. Eccl. I, 12. II, 1. 2. 9. 14. 15. VI. 4. Laudandae editt. reliquorum operum, quae prodiere Ludg. Bat. 1616. fol. repetita Coloniae, h. e. Vitebergae a 1688. et *Io. Potteri,* Oxon. 1715. 2 Voll. fol. De *Pantaeno* vid. *Euseb.* l. c. V. 10. et *Hieron.* l. c. c. 35.

d) *Euseb.* Hist, Eccl. L. III, 36. 39.

e) *Iren.* adv. haer. I, 28. III, 23. *Euseb.* l. c. IV, 16. 21. 28. 29. V, 13. *Hieron.* l. c. c. 29. Orationem habent edi-

editiones *Iustini* Coloniensis et Parisina, diligenter etiam edidit, *Guil. Worth*, Oxon. 1700. 8.

f) *Euseb.* I. c. IV, 23 *Hieron.* l. c. c. 25. Praeter laudatas saepius *Iustini* editiones, curam egregiam *Io. Christoph Wolfii* expertus est hic liber; Hamburg. 1724. octonis.

g) Exstat et ipsa in utraque illa *Iustini* editione, et Helmst. 1764. 8. excusa.

§. V.

Et Seculo III.

Celebrari deinde ante alios coepit *Origenes*, Aegyptius, discipulus et successor *Clementis Alex.* inter doctores veteris ecclesiae ingenio, doctrina et meritis princeps; qui eodem cum praeceptore animo litteras Graecorum ad sacra Christiana transtulit, grammaticae interpretationis Scripturae sacrae magister et exemplum egregium, felix etiam religionis adversus ethnicos defensor; idem tamen allegoricae rationi in sacris litteris interpretandis, et argutioribus de fide christiana sententiis quandoque nimium indulgens; diem obiit Tyri a. CCLIV. cuius *Hexaplorum*, et *Commentariorum in Scripturam S.* reliquiae, *Libri* item *VIII adversus Celsum*, Libri IV. *περὶ ἀρχῶν*, *Liber de Oratione*, *Exhortatio ad Martyrium*, et *Epistola ad Africanum*, qualis quantusque fuerit, hodieque docent: nam plurima eius aetatem non tulerunt a); — *Iulius Africanus*, qui presbyter vixit Nicopoli in Palaestina ad a. CCXXXII. clarus interpretatione Scripturae Sacrae, *Epistolam ad Origenem de Historia Susannae* reliquit: sed *Chronographiae* eius ab O. C. ad a. CCXXI. post C. N. operis *τῶν Κεςῶν*, et *Epistolae de genealogia Christi*, nonnisi fragmenta ad nos pervenere b); — *Hippolytus*, Episcopus medio seculo III. qua in urbe, incertum, cuius libri plerique interierunt, *Cyclus* seu *Canon Paschalis*, et quaedam incertae fidei,

fidei, restant c); — *Dionysius Alexandrinus*, in discipulis *Origenis* laudatissimus, eiusque in catechetico munere successor, constans in vera religionis forma tuenda, in controversiis sedandis utilem operam posuit, prudentia item et moderatione insignis, qui a. CCLXV. vivere defiit; *Librorum* eius II. *de promissionibus divinis*, et aliorum operum excerpta hodie duntaxat leguntur d); — *Gregorius Thaumaturgus*, et ipse inter doctissimos *Origenis* discipulos, Neocaesareae in Ponto Episcopus, mortuus post a. CCLXX. studio propagandae religionis Christianae et facultate miracula edendi clarus, cuius *Confessio fidei* et *Epistola canonica* supersunt e); — denique *Methodius*, Tyri Episcopus, martyr circa a. CCCIII, qui *de Resurrectione* adversus *Origenem* aliaque scripsit, quorum pleraqne tempus absumsit f). Eodem fere tempore *Lucianus*, *Pamphilus*, aliique, in recensendis codicibus sacris diligentem operam posuerunt g).

a) De eo late *Euseb.* Hist. Eccl. L. VI. c. 1 sq. *Hieron.* Catal. Scriptt. Eccl. c. 54. *Petri Daniel. Huetii* Origeniana. Idem *Huetius* Commentaria Orig. in Script. S. permulta edidit Rothomagi. 1668. fol. recusa Coloniae. h. e. Francof. ad Moenum. 1685. Libros contra Celsum *Guil. Spencerus*. Cantabrig 1658. 4. Hexaplorum reliquias *Bern. Montefalconius*. Paris 1713. 2 Voll. fol. Opera eius omnia, quae ex tanto numero reperiri potuere, *Carolus* et *Carolus Vincent. Ruaei*, Paris. 1740 — 1759. 4 Voll. fol. edidere.

b) *Euseb.* H. E. L. VI. 31. *Socrates* Hist. Eccl. II. 35. Epist. de Hist. Susannae edidit *Io. Rud. Wetstenius*, Basil. 1674. 4. et *Ruaeus* T. I. Opp. Origenis; fragmenta autem operum habet *Euseb.* I. c. I. 7. Praep. Euang. X, 10. Demonstr. Euang. VIII. 2. et ex LL. *Κεςῶν Thevenotus*, in Mathematicis graecis, Paris. 1693. fol.

c) *Euseb.* H. E. VI, 20. *Hieron.* Catal. Scriptt. Eccl. c. 61. Quae ei tribuuntur omnia duobus Voll. collecta *Io. Alb. Fabricius* publicavit Hamb. 1718. fol.

d) *Euseb.* l. c. VI, 29. 35. 40-42. 44-46. VII, 1. 4-11. 20

20-28. 30. ubi plurima eius fragmenta, inprimis epistolae, occurrunt. *Hieron*. l. c. 69.

e) *Euseb* l. c. VI, 30. VII, 14, 28, *Hieron*. l. c. c. 65. *Basil. Magnus* in epistolis. *Gregor. Nysseni* Oratio in Gregor. Thaumat. Collegit quae ei adscribuntur *Ger. Vossius*, Mogunt. 1604. 4. recusa Paris. 1721. fol.

f) *Hieron*. l. c. c. 83. *Epiphan*. haer. 64. qui cum *Photio* Biblioth. cod. 234. fragmenta Libri de Resurr. servavit. Haec cum aliis eiusdem *Combefisius* exscribi iussit Paris. 1644. fol. conf. *Fabricii Hippolytum*. Vol. II. p. 75 sq.

g) *Euseb*. H. E. VIII, 13. IX, 6. de Martyr. Palaest. c. 11. *Hieron*. l. c. c. 75-77.

§. VI.

Viri illustres Ecclesiae Latinae, maxime Africanae.

Occidentalem seu *Latinam Ecclesiam illustrarunt*: *Q. Septimius Florens Tertullianus*, Carthaginiensis Ecclesiae Presbyter, posthaec Montanista, vir inprimis doctus, ingeniosus, acerrimus in defendenda religione et disciplina ecclesiastica adferenda; eloquentia autem prorsus nova, et brevitate ac tumore obscura; sed iusto austerior in moribus Christianorum emendandis, et phantasiae vim iniquam saepe passus, *Apologetico pro Christianis*, et similibus libellis, aliis *adversus haereticos*, inprimis *de praescriptionibus*, *adversus Marcionem*, *Valentinianos*, et alios, denique plurimis *de morali doctrina* et *disciplina ecclesiastica* scriptis, ut Libris *de baptismo*, *de poenitentia*, *de oratione*, *de spectaculis*, *de habitu muliebri*, *de corona militis*, *de pudicitia*, *de fuga in persecutione*, *de ieiunio*, *de monogamia*, aliis, clarissimus, obiit post a. CCXX a); *Minucius Felix*, Afer, eiusdem fere aetatis, disertus rei christianae patronus, scripto *Dialogo*, cui nomen *Octa-*

Octavius b); — *Thascius Caecilius Cyprianus*, Episcopus Carthaginiensis, *Tertulliani* imitator perpetuus, ardentissimo studio religionis et pietatis Christianae iuvandae, constantia in morte pro ea a. CCLVIII toleranda, et eloquentia illustris; auctoritatis tamen episcopalis altius extollendae nimium studiosus, et iisdem prope cum magistro naevis obnoxius, cuius inter scripta *Epistolae* principem locum obtinent; sed memorandi etiam libri *de idolorum vanitate*, *de lapsis*, *de unitate ecclesiae*, *de mortalitate*, *testimoniorum libri tres adversus Iudaeos*, alii c); — *Arnobius*, et ipse Afer, *Disputationum adversus gentes* scriptor eruditus, post a. CCC. mortuus d).

a) *Euseb.* Hist. Eccl. L. II. c. 2. *Lactant.* Div. Instit. L. V. c. 1. *Hieron.* Catal. Scriptt. Eccl. c. 53. ep. 69. 84. *Io. Aug. Noesselti* Disput. de vera aetate ac doctrina scriptorum, quae supersunt, Tertulliani, Halae 1768. 4. Operum eius praestantiorem editionem debemus *Nicol. Rigaltio*, Paris. 1634. 1641. fol. quam repetiit et locupletavit *Phil Priorius*. ib. 1664. 1675. f commodam et utilissimis indicibus instructam *Io. Sal. Semlero*, Hal. 1770-1776. 6 Voll. 8.

b) *Lactant.* l. c. I. 11. V. 1. *Hieron.* l. c. c. 58. Epist. ad Magnum. Ediderunt dialogum eius ceteris melius, *Iac. Gronovius*, Lugd. Bat. 1709. 8. et *I. G. Lindner*, Longosalissae, 1760. 1773. 8.

c) *Pontii* Diaconi vita Cypriani. *Lactant.* I. c. V. 1. *Euseb.* Hist. Eccl. VI, 43. VII, 3. *Hieron.* I. c. c. 53. 67. *Io. Pearsonii* Annales Cyprianici. *Prudent. Marani* vita Cypriani. Editiones operum eius optimae, *Io. Felli*, Oxoniae 1682. fol. recus. Bremae 1690. fol. et *Steph. Baluzii* ac *Prud. Marani*, Paris. 1726. fol.

d) *Hieron.* l. c. c. 79. De eius opere bene meruerunt inprimis *Theodor. Canterus*, *Gebh. Elmenhorstius*, et *Desid. Heraldus*, cum quorum observationibus prodiit Lugd. Bat. 1651. 4.

§. VII.

Gallicae et Romanae.

Inter primos Galliarum doctores *Irenaeus* fuit, *Polycarpi* Smyrnensis discipulus, Lugdunensis presbyter

byter ac postea Episcopus, mortuus post a. CCII. vir non indoctus, verae doctrinae Christianorum et pacis ecclesiasticae perquam studiosus, et haereticorum acerrimus debellator; sed idem credulus, et iudicandi subtilitate parum valens, auctor librorum plurimorum, quos tempus abstulit, si a *Libris V. adversus haereses* (*Gnosticorum*) discedas, qui fere latine tantum versi exstant [a]). In Romana Ecclesia sub exordium Seculi III. *Caius* vel *Gaius*, presbyter, floruit, cuius doctrina et eloquentia laudantur; librorum fragmenta quaedam servata sunt [b]). Sed omnes hi et reliqui Christianorum hoc aevo doctores, qui coniuncti *ecclesiae catholicae*, (hoc est, quae unam fidem latissime inter Christianos inde ab Apostolis regnantem retinere se profitebatur), vixerunt, ab antiquitate et auctoritate *Patres Ecclesiae* dicti sunt, plerumque in commendanda et exercenda pietate christiana, oppugnandisque haereticis, Iudaeis et gentilibus feliciores se ostenderunt, quam in sacris litteris dogmatibusque theologicis interpretandis; ut adeo in eruditione ac meritis eorum aestimandis temporum et status ecclesiae ratio diligenter habenda sit.

a) *Euseb.* Hist. Eccl. L. III. c. 39. L. V. c. 20. 26. *Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 35. Post *Fevardentii* antiquiores curas in eius opere positas, (Paris. 1575. fol. et postea saepius), accessere doctiores *Io. Ernesti. Grabii*, Oxon. 1702. fol. et *Renati Massueti*, Paris. 1710 fol. Neque fragmenta eius anecdota negligenda, quae primus luce donavit et illustravit *Christ. Matth. Pfaffius.* Hagae 1715. 8.

b) *Euseb.* l. c. II, 25. III, 28. 31. VI, 20. *Hieron.* l. c. c. 59. Eidem etiam tribuitur fragmentum de Canone Sacrarum Scripturarum, in *Muratorii* Antiquitt. Ital. medii aevi, III, 84 sq. et apud *Stoschium* de Canone N. T. p. 181 sq.

§. VIII.

Episcoporum dignitas aucta. Concilia. Ordines minores.

Episcoporum vero *auctoritas* ea celeriter *incre-*

crementa coepit, ut ad *imperandi* quamdam *vim* et *legum ferendarum potestatem* ascendisse videretur exeunte hac aetate. Quod non modo ex impotentiore quorundam, ut *Victoris* et *Stephani* Roman. *Cypriani* Carthag. *Demetrii* Alexandr. *dominandi cupiditate*, et *translatis* ad eos quodammodo *partibus magistratus ethnici*, a quo parum perpetuae curae aut benevolentiae exspectendum erat Christianis; porro et ab *honorum titulis*, quibus post *Cleri* feu *Ordinis*, et *Laicorum* discrimen stabilitum *a*), episcopi inprimis ornati sunt, ut v. c. omnes προεςῶτες, *Papae* seu *Patres*, *Pontifices Maximi*, cet. adpellarentur *b*); sed maxime a *Conciliorum* seu *Synodorum* apud Christianos natalibus, repetendum est. Haec enim a *medio fere Seculo II.* a plurium ecclesiarum episcopis habita sunt hoc consilio *c*), ut *obortae super religione et sacris lites sopirentur*, *ac disciplinae ecclesiasticae* unitas sua et reverentia servaretur. Eorum decreta sive *Canones*, et cum his episcoporum suorum placita, protinus sibi recipienda esse non dubitarunt Christiani. Accesserunt *tertio Seculo Ordines minores*, hoc est, ministrorum ecclesiae nova genera, ut *hypodiaconi*, *lectores*, *exorcistae*, *acoluthi*, *ostiarii* *d*), quos amplitudo nonnullorum coetuum et aliae caussae desiderare quidem videbantur; sed qui mox ab episcopis maxime pendentes cum reliquo Clero, eorum potentiae accessio fuerunt. Ceterum etsi quaedam ecclesiae splendidiores essent ceteris, ut *Romana*, *Alexandrina*, *Carthaginiensis* *e*), ac propterea etiam Christiani Occidentis Romanam tamquam ordine primariam colorent *f*); tamen re ipsa et ecclesias et episcopos omnes eadem dignitate gaudere, nec iurisdictioni episcopi alicuius subiacere, verbis et factis testati sunt doctores christiani *g*).

a) *Tertulliani* Exhort. ad castit. c. 7. de Monogamia, c. 12. *Iust. Henning Boehmer*, Diss. VII. de differentia inter ordinem ecclesiasticum et plebem, in Dissertt. XII. Iuris Eccl. antiqui, p. 340 sq. coll. Diss. Diss. X et XI.

b)

b) *Iust. Mart.* Apol. I. c. 85. *Tertull.* de Pudicitia, c. I, 13. *Origen.* epist, ad. Iul. Africanum. *Cyprian.* ed. Brem. 17. Pamel.

c) *Euseb.* Hist. Eccl. L. V, 16. 23.

d) Prima eorum mentio in epistola *Cornelii,* Episc. Rom. apud. *Euseb.* H. Eccl. VI, 43. Sed *Lectorem* vidit iam *Tertullian.* de praescript. haeret. c. 41.

e) Vnde *episcopi primae sedis,* quia postea *Metropolitani.*

f) *Irenaeus* adv. haer. L. III. c. 3. *Cypriani* epist. 59. ed. Brem. 55. Pamel.

g) *Cyprian.* de unitate Ecclesiae, p. 108. ed. Brem. Acta. Concil. Carthagin. ib. p. 229. *Firmiliani* ad Cyprian. epistola, inter Cyprianicis 75. *Euseb.* Hist. Eccl. V. 23 — 25.

CAPVT IV.

Historia Religionis Christianae, post aetatem Apostolorum ad tempora Constantini M.

§. I.

Religio Christiana amplius propagata.

Horum igitur potissimum doctorum opera factum est, ut *religio christiana* his temporibus non modo *accurate cognosceretur* a quam plurimis; sed etiam *per omnes Imperii Romani terminos diffunderetur.* A Seculo enim secundo, praeter eas regiones, quas Apostoli cum amicis doctrina Euangelii illustraverant, iam ea copiosius, cum insigni ethnici ritus detrimento, repletas a), in *Indiam,* h. e. *Aethiopiam,* translata est a *Pantaeno* b); *Arabiae* regulo cuidam patefacta ab *Origene* c); *Gothis,* regnante *Gallieno,* per ipsas incursiones suas

suas in Imperium Romanum *d*). Eadem opportunitate etiam ad *Persas* delata videtur *e*). In Occidente hanc religionem medio Seculo secundo *Galliae* pars *f*) recepit, mox *Germania Cisrhenana g*), et *Hispania h*), forte et *Brittannia i*). Sed magis etiam Seculo tertio in *Galliam k*) penetravit, et, quod credibile est, in *Scotiam*, seu *Caledoniam l*).

a) *Plin.* Lib. X. ep. 97. *Tertull.* Apologet. c. 1. 37.

b) *Euseb.* H. Eccl. V. 10. coll. *Hieron.* Catal. Script. Eccl. c. 36. ep. ed. Bened. T. IV.

c) *Euseb.* l. c. VI, 19.

d) *Sozom.* Hist. Eccl. L. II. c. 6. *Philostorg.* Hist. Eccl. L. II. c. 5.

e) *Euseb.* Hist. Eccl. L. III. c. 1. *Sozom.* Hist. Eccles. L. II. c. 8.

f) *Irenaeus* adv. haer. L. I. c. 10. *Sulpit. Sever.* Hist. Sacr. L. II. c. 32.

g) *Iren.* l. c. *Io. Henr. Vrsinus* de Ecclesiar. Germanicar. origine et progressu, Norib. 1664. 8. *Ioh. Nicol. ab Hontheim* Historia Trevirensis diplomatica, Aug. Vindel. 1751. fol. cum Prodromo eiusdem. ibid. 1757. fol.

h) *Iren.* l. c. *Tertull.* advers. Iudaeos c. 7.

i) *Bedae* Hist. Eccl. gentis Anglorum, L. I. c. 5. sq. *Iac. Vsseri* Britannicar. Ecclesiar. antiquitates, Lond. 1687. fol. c. 3. 17 sq. coll. *Moshem.* Commentar. p. 213 sq.

k) *Gregor. Turon* Hist. Francor. L. I. c. 28. Postera aetas *Dionys. Parisiensem* Seculi III. in *Dionys. Areopagitam* mutavit.

l) *Vsserius* l. c. cap. 15.

§. II.

Caussae rei bene gestae.

Quos progressus fidei christianae et ipsa *illius natura* benefica ac *salutaris*, et *mores* eorum, qui eam

eam sectabantur, plerumque *integerrimi* a), inprimisque laeta *morientium constantia*, et *miracula*, quae per Christianos nonnumquam edebat Deus b), (eorum enim exempla non pauca omni dubitatione carere plerisque videntur), adiuvabat. Accessit *benevolentia* erga eos, certe aequitas nonnullorum *Principum Romanorum* c), e quibus *Alexandrum Severum* d), qui a. CCXXXV. interemtus est, et *Philippum Arabem* e), quem eadem sors mansit a. CCXLIX, parum a recipienda christiana religione abfuisse tradunt. Neque nihil profuere incrementis eius *vitia gentilium*, quibus religio eorum fere favebat f); institutae *sacrarum litterarum in linguas populares versiones* g); sensim et *ingenii ac doctrinae* quaedam *praesidia*, feliciter a Christianis usurpata h). Ab hac autem fidei eorum commendatione non modo vis et dolus omnis, sed etiam festinatio et levitas aliena erant: quod *Catechumenorum* rationes abunde docent i). Nec *disciplina arcani*, hoc est, occultatio sententiarum et rituum quorumdam, fraudis aliquid alebat; sed vel iustae prudentiae erat, vel excusatione plerumque non indigna k).

a) *Plin.* L. X. ep. 97. *Iustin. Mart.* Apol. I. c. 2 — 23. ed. Thal. *Athenag.* Deprec. pro Christianis, p. 26. ed. Rechenberg. *Tertull.* Apologet. c. 2. 3. Provocabant enim his Apologiis hostes religionis suae christiani, ut quae in ea, vel in vita ipsorum reprehendenda essent, ostenderent. De *fide* et *usu* horum libellorum.

b) *Iust. Mart.* Apol. II. c. 6. *Eiusd.* Dial. cum Tryph. p. 308. ed. Colon. *Irenaeus* adv. haer. L. II. c. 31. *Tertull.* Apolog. c. 23. 27. 32. ad Scapul. c. 2. *Orig.* contra Cels. L. I. p. 7. L. VII. p. 334. ed Spenc. *Cyprian.* de idolor. vanit. p. 14. ed. Brem. *Gregor Taumat.* vita auct. *Gregor. Nysseno. Euseb.* Hist. Eccl. L. V. c. 17. *alii.* *Tob. Pfanner* de Charismatib. antiquae Ecclesiae, Francof. 1780. 12. *Henr. Dodwelli* Dissert II. in Irenaeum, et Diss. IV. Cyprianica. *Conyers Middletoni* Examen Charismat. Eccles. Christ. post mortem Apostolor. German. versum, cum annot. *Windhemii.* Hanov. 1751. 4. inprimis *Io. Iac. Zimmermann* de visionibus,

bus, quae quatuor primis Seculis Christianis contigisse dicuntur, in Opusc. Tom. Prior. P. I. p. 646 — 760, Tig. 1751. 4. Multa tamen quae inter ea miracula relata sunt, ex eorum numero eximenda videntur.

c) *Plin.* L. X. ep. 98. *Tertull.* Apologet. c. 5. *Euseb.* Hist. Eccles. L. IV. c. 8. 9. 13. 26.

d) *Euseb.* Hist. Eccl. L. VI. c. 21. 28. *Lamprid.* in Alex. Severo, c. 29. 43. 45. 49. 51.

e) *Euseb.* l. c. L. VI. c. 34. 36. Chron. ad a. 246 coll. Opere de vita Const. M. L. IV. c. 74. *Frid. Spanhem.* de antiquiss. conversionib. Lucii Britonum Regis, Iuliae Mammaeae Aug. et Philippi Imp. patris et filii. Opp. T. II. p. 390 sq.

f) Hic quoque, post scriptores gentilium, Apologiae Christianorum consulendae.

g) v. c. Syriaca, Latinae, aliae.

h) A medio Seculo II. auctoribus philosophis graecis, ad sacra eorum transeuntibus.

i) *Origen.* contra Celsum, L. III. pag. 142 ed. Spenc. *Gabr. Albaspinaei* de veteribus Ecclesiae ritibus Observatt. Helmst. 1672. 4.

k) *Clem. Alex.* Strom. L. I, p. 275 sq. ed. Colon. *Orig.* l. c. L. I. p. 7. L. III. p. 143. *Eman. a Schelstrate* in Antiq. Eccl. illustr. et in Diss. apologet Rom. 1685. 4. contra *Wilh. Ern. Tenzelii* Diss. de Disciplina arcani, in Exercitt. selectis, P. II. ubi et Animadvers. eius in Schelstr. Diss.

§. III.

Conatus Iudaeorum religionem christianam opprimendi.

Videbantur hos progressus religionis christianae *acerbissima Christianorum fata*, quae Iudaeorum et Gentilium in eos odio debebantur, remoratura esse. Ac *Iudaeorum* quidem in eos brevis *furor a*), anno post C. N. LXX. *deleta* gentis *regia*, innumerisque ex ea partim occisis, partim pes-

pessime habitis et late dispersis *b*), fere *exstinctus* est. Qua Iudaeorum calamitate simul et *Christi*, qui eam praedixerat, *fides* mirifice *confirmata* est *c*). Cum postea in libertatem se vindicare armis niterentur a. CXV *d*), atque rursus a. CXXXII, quo tempore *impostorem* secuti, qui se *Messiam* dicebat, triennio bellum gesserunt, millia multa eorum caesa, reliqui ab *Aelia Capitolina*, quae in Hierosolymae locum successerat, adeunda prohibiti sunt *e*). Pacatiores deinde iuribus usi sunt non contemnendis, in his *Patriarcharum* auctoritate *f*), et *scholis* insignibus, in quibus litteras suas excolerent *g*). Per eam opportunitatem R. *Iuda Sanctus* circa a. CXC. *Mischnam* condidit, iuris Iudaici post leges Mosaicas, veluti pandectas *h*), et novum fere religionis patriae praesidium. Sed Christiani etiam *ab* imbelli iam *hoc populo obtrectationibus* et conviciis se *laceratos esse*, saepius conquesti sunt *i*).

a) v. *Act. Apost.* locis plurimis. *Iustin. Mart.* Dial. cum Tryph. p. 117. ed. Bened.

b) *Iosephus* de Bello Iudaico. *Tacit.* Hist. L. V. c. 10 sq. *Euseb.* Hist. Eccl. L. III. c. 5 sq.

c) *Matth.* XXIV, 25. *Luc.* XXI, 6 sq.

d) *Dio. Cassius* Histor. Rom. L. LXVIII. *Euseb.* l. c. L. IV. c. 2.

e) *Dio. Cassius* l. c. L. LXIX. *Iustin. Mart.* Apol. I. c. 38. *Euseb.* H. E. l. c. c. 6.

f) *Vopisc.* in Saturnino, c. 8. *Origenis* περὶ ἀρχῶν, L. IV. c. 1. *Iac. Gothofr.* ad C. Theod. L. XVI. t. 8.

g) Vt Iafnae et Tiberiade in Palaestina Seculo II. Sorana et Pumbedithana in Babylonia Sec. III. *Hotting.* H. E. N. Test. P. I. p. 70 sq.

h) *Wolfii* Biblioth. Ebr. P. II. p. 669 sq. *Waehnerii* Antiquitt. Ebraeorum, Vol. II. p. 333 sq.

i) *Tertull.* ad nationes L. I. c. 14. *Orig.* adv. Celsum, L. VI. p. 293 sq. ed. Spenc.

§. IV.

§. IV.

Gentilium in eamdem odium, eiusque caussae.

Maiora tamen multo et diuturniora *mala a gentilibus in christianos* manarunt. Hunc Romanorum animum in sacra et publice et privatim utilissima, pro reliqua eorum in diversas religiones aequitate, ex his fere caussis derivare licet. *Christiani*, qui et Deorum nominibus atque imaginibus, et templis, et altaribus, atque hostiis carerent, *omnis religionis expertes iudicabantur* a). Iidem *religioni Romanorum publicae*, quam audacter ridebant, ingens *adferebant detrimentum* b). Hostes porro Imperii Romani habebantur, qui religionis caussa *conventus clandestinos et nocturnos* agitabant c). Accedebant aliae *calumniae atrocissimae*, quibus nomen et fides Christianorum infamabantur d); v. c. *odii generis humani* e), *Tyesteorum epulorum* f); cet. Perraro *immodesti mores*, *turbulentum ingenium*, aut *fanatica studia nonnullorum Christianorum*, praesertim de sectis haereticis, concitasse adversus eos Romanorum Principes et magistratus videntur g). Nec reticenda multiplex *iactura*, quam per eos *idololatriae cultores et ministri* patiebantur h), et saepius facta *Iudaeorum et Christianorum inter se permutatio* i).

a) *Iustin. Mart.* Apol. I. c. 6. 16. *Athenag.* Apolog. p. 30. 35 sq ed. Rechenb. *Arnob.* advers. gent. L. I. p. 20. et *Minuc. Felic.* Octavius, p. 334 sq. Paris. 1605. 8.

b) *Plin.* L. X. ep. 97. *Orig.* contra Celsum, L. VIII. p. 402. ed. Spenc. *Euseb.* H. E. L. IV. c. 15.

c) *Plin.* l. c. *Tertull.* ad uxor. L. II. c. 4. *Orig.* l. c. L. I. p. 4.

d) *Christ. Kortholti* Paganus obtrectator. Kilon. 1698. 4.

e) *Tacit.* Annal. L. XV. c. 44. coll. *Tertull.* Apolog. c. 2. 35. 39.

f) *Iust. Mart.* Apoll. I. c. 35. *Tertull.* l. c. c. 2. 4. 7. 8. *Minuc. Fel.* Octav. p. 333.

g) *Tertull.* Apolog. c. 35. ad Scapul. c. 5. *Idem* de corona militis. c. 1. *Euseb.* Hist. Eccl. L. V. c. 16. L. VIII. c. 6.

h) *Act. Ap.* XIX. v. 23 sq.

i) *Sueton.* in Claudio, c. 25. coll. *Act.* XVIII, 2. *Rom.* XVI, 3. *Vopisc.* in Saturnino, c. 8. *Dion. Cassii* Hist. Rom L. LXVII.

§. V.

Relig. Christ. legibus et suppliciis adoriuntur, Sec. I. et II.

Itaque saepenumero vel *Principum Romanorum iussu a*), vel *iniquitate* aut *praecipiti consilio magistratuum b*), vel *plebis saevitia* per tumultum erumpente c), Christiani *gravissime vexati*, partim etiam novis *cruciatuum* et *suppliciorum* generibus inventis d), necati sunt. *Decem* tamen *Imperatores* legibus latis in eos saeviisse, historiae testimoniis repugnat, etsi ex veteri traditione *novem* aut *decem Persecutiones Christianorum* crudeliores statuantur e). *Princeps* legibus et poenis in eos egit *Nero* ab a. C. LXIV. ad a. LXVIII. quasi incensae urbis Romanae reos f); post hunc ab anno XCV. *Domitianus*, crescentem numerum Christianorum exhorrens, et rerum novarum suspicione eos involvens g). Multa quidem, *Traiano* ab a. XCVIII. *Adriano* ab a. CXVII. h), et *Antoninis* ab a. CXXXVIII., ad a. usque CLXXX. regnantibus i) dira in eos statuta; sed per motus fere populares. Quod autem *Marci Aurelii* aetate contigisse tradunt miraculum *legionis* christianae, quae ab eo *fulminatrix* dicta sit, caussam quasi christiano-

anorum Deo ipso adversus gentiles agente; de eo fama ex incertis rumoribus orta est k).

a) Eorum Rescripta adversus Christianos collegerat: *Domitius* ICtus. *Lactant.* Div. Instit. L. V. c. 11. Quae supersunt, illustravit *Franc. Balduinus* Commentario Halae 1727. 8. recuso. De *statu Imperii Rom.* hac aetate.

b) *Plin.* L. X. ep. 97. *Tertull.* ad Scapulam. *Cyprianus* ad Demetrianum.

c) *Euseb.* H. E. L. IV. c. 15. L. V. c. 1 — 3.

d) *Anton. Gallonius* et *Casp. Sagittarius* de martyrum cruciatibus.

e) *Sulpic. Sever.* Hist. Sacr. L. II. c. 33, coll. *Augustin.* de Civ. Dei, L. XVIII. c. 52. *Christ. Kortholti* Lib. de Persecutionibus Ecclesiae primaevae sub Imperatt. ethnicis, Kilon. 1689. 4.

f) *Tacit.* Annal. L. XV. c. 44. *Sueton.* in Neron. c. 16. *Tertull* Apolog. c. 5. *Euseb.* H. E. L. II. c. 25. L. III. c. 1. De *Petri* et *Paulli* App. supplicio.

g) *Dio Cass.* Hist. Rom. L. LXVII. *Tertull.* l. c. de Praescript. c. 36. *Euseb.* l. c. III, 17 — 20. De *Ioannis* Apost. poena et exilio.

h) *Plin.* L. X. ep. 97. 98. *Euseb.* l. c. L. III. c. 32. L. IV c. 8. 9. 26.

i) *Euseb.* Hist. Eccl. IV, 13. 15 — 17. 26. V, 1 — 3. 21. *Iustini M. Polycarpi* et Christianorum in Gallia caedes.

k) *Dio Cass.* l. c. in Excerpt. Xiphil. L. LXXI. *Capitolin.* in M. Aurel. c. 24. *Tertull* Apolog. c. 5. *Euseb.* l. c. V, 5. *Cleric.* H. E. Sec. II. p. 744 — 753.

§. VI.

Tertio Seculo et ineunte quarto.

Rursus tamen *Septimius Severus*, edita a. CCII. lege, ne quisquam posthac ad iudaica aut christiana sacra transiret, locum aperuit eorum etiam perquam duriter vexandorum, qui utraque iam a longo tempore professi essent a). Sed a

tyrum insigni fortitudine, eiusque caussis, pag. 90 — 107. Opp. Cypriani ed. Bremens.

b) *Tertull.* ad Scap. c. 5. De *Professoribus martyribus*, et vi gloriae, praemiorum atque honorum apud martyres.

c) *Euseb.* H. E. L. IV. c. 15. *Tertull.* L. ad martyres. *Origen.* Exhort. ad martyrum. *Cyprianus* in epistt. et aliis locis.

d) *Dodwelli* Diss. Cyprian. XI. de paucitate martyrum.

e) *Euseb.* l. c. *Cyprian.* ep. 12 et 39 ed. Brem. *Greg. Nyssen.* in vita Gregor. Thaumat. *Casp. Sagittarius* de martyrum natalitiis in primitiva Ecclesia, Francof. 1696. 4.

f) *Dodwelli* l. c. *Theodor Ruinarti* Acta primorum martyrum sincera et selecta, Amstel, 1713. fol. repetita in Italia et Germania.

§. VIII.

Christiana religio scriptis oppugnata a philosophis ethnicis.

Qui ingenio et doctrina florebant inter gentiles, ii primum quidem *religionem Christianorum*, quam parum cognitam habebant, cum eius adseclis *contemsisse* fere *ac risisse* per silentium videntur *a*). Mox iocos et sales, quos in eam iactabant, etiam in libros suos transtulere, ut *Lucianus*, vergente Seculo II *b*). Ante eum tamen *Celsus*, philosophus Epicureus, exortus est, qui hanc religionem singulari libro aliquanto gravius et acutius aggrederetur *c*). Postea ex schola *Ammonii Saccae*, quae sub initia Seculi III. nata est Alexandriae, et *eclecticae sectae* seu *Platonicorum recentiorum* nomen accepit *d*), multi *christianae fidei hostes* prodierunt, iique *docti, eloquentes et callidi*. Nam et philosophiae graecae, et religionis gentilis, et vero etiam christianae mutua dissidia sublaturi, ita interpretabantur dogmata singularum, ut *Christo* credere supervacuum videri posset, cuius et

prae-

praeceptis et miraculis quam simillima tenerent ethnici. Ex hoc genere post *Plotinum*, medio Seculo III. docentem *e*). *Porphyrius* maxime fuit ad a. usque CCC superstes, cuius *Libri XV. adversus Christianos* periere; servatum est opus *de vita Pythagorae f*), eodem illis oppositum consilio, quo non longe ante eius aetatem *Philostrati vita Apollonii Tyanensis g*), et ineunte Sec. IV. *Hieroclis* opus eiusdem argumenti *h*). Neque tamen vel superiorum philosophorum, vel horum conatus, christianae fidei ingentem aliquam noxam attulerunt *i*).

a) *Marc. Aurel.* ad se ipsum, L. XI, c. 3. *Arrian.* Dissertt. Epict. L. IV. c. 7. De *statu litterarum* et philosophiae inprimis hoc aevo.

b) *Lucian*, de morte Peregrini.

c) Fragmenta operis non pauca leguntur in *Origenis* LL. VIII. adv. Celsum. De *Celso Bruckeri* Hist. Crit. Philos. T. II. p. 604 sq. et *Moshemius* in versione operis *Origen.* adv. Cels. germ.

d) *Euseb.* H. Eccl. L. VI. c. 19. *Gothofr. Olearii* Diss. de Secta Eclectica. *Brucker*, l. c. p. 189 sq. T. VI. p. 360 sq.

e) *Fabricius* Biblioth. Gr. L. IV. Parte alt. P. 88 sq.

f) *Idem* l c. p. 180 sq. Edidit opus *Ludolf Küsterus*, Amst. 1707. 4.

g) In *Gothofr. Olearii* Operibus Philostratorum, Lips. 1709. fol.

h) *Lactant.* Inst. div. L. V. c. 2. 3. *Euseb.* adv. Hieroclem.

i) Permagnam existimavit *Moshemius*. Diss. de turbata per recentiores Platonicos Ecclesia, in Dissertatt. ad H. E. pertinentibus, Vol. I. p. 90 sp. Add. libr. gall. Hist. crit. Eclecticismi. a 1766. 2 Voll. 12. et quae *Chr. Meiners* de iis disputavit.

§. IX.

Mutata in peius ab haereticis.

Gravius quodammodo *laeserunt religionem christianam* obortae mature *sententiae* et opiniones va-

variae, quae eam adeo *phantasiae* vel *ingenio humano* vel *philosophiae* tum maxime regnanti *attemperarunt*, ut transformatae in alia omnia et *corruptae* non dubia signa adessent. Quae hanc vim haberent dogmata, neque tolerari propterea a Christianis germanae formulae suae memoribus possent *a*), *haereses* dictae sunt, eorumque auctores et defensores acriores, *haeretici* *b*). Hos tamen *non semper data opera ad vitiandam religionem* accessisse; sed saepius *optimo consilio*, et *pietatis inconsulto studio* animatos fuisse, subinde et *rectius* quaedam *observasse* illis, quae vulgo tradebantur, res ipsa loquitur *c*). Christiani autem purioris fidei studiosi, qui *catholici* appellati sunt, hos illius qui putabantur inimicos, *partim* ruptis vinculis communionis ecclesiasticae, quam cum illis servaverant, *partim* scriptis confutationibus, quae illorum sententias ad normam sacrarum litterarum revocarent, profligarunt. In quo tamen eos *nonnumquam aequitas et moderatio deficiunt*. Habet haec *historia haeresiologica obscuritatis plurimum*; inprimis hac de caussa, quod libri haereticorum huius aetatis omnes interierunt *d*).

a) *Tit.* III. 10.

b) Vox *αἱρέσεως* a sectis Graecorum ac Romanorum philosophicis, et Iudaeorum ecclesiasticis, ad Christianos translata ab Apostolis, Gal. V. 20. 1 Cor. XI, 29. Tit. III, 10. 2 Petr. II, 1.

c) De utilitate haeresium in nascente eccl. christ. *Orig.* contra Celsum, L. III. p. 118 sq. ed. Spenceri.

d) Illustravit eam *Tho. Ittigius* Diss. de haeresiarchis aevi Apostolici; sed accuratius in multis *C. G. F. Walchius* Hist. Haeresium, germanice scripta.

§. X.

Idque Seculo I. a Simone Mago, Menandro, Cerintho, Nicolaitis.

Agmen haereticorum duxisse veteres tradunt

Si-

Simonem Magum, Samaritanum, qui magicis praestigiis fascinatae plebi persuaserit ab a. C. XXXIV sq. se esse *Aeonum*, seu spirituum a bono et aeterno Deo creatorum, maximum, missum quidem ad homines eo consilio, ut eos cognitione Dei illustratos a potestate malorum geniorum, qui orbem efformassent, liberaret. Sed ille *religionem christianam* omnem *evertere* potius, seque cum *Helena* sua in locum Christi substituere conatus est. Omnis autem historia eius multa et obscuritate et ambiguitate laborat *a*). Eiusdem fere generis sunt, quae de magistro eius *Dositheo b*), et discipulo *Menandro* c), narrantur. Verius est, *Gnosticas* sectas, quae γνώσεως, hoc est, theologiae et philosophiae eximiae scientiam iactabant, primas fuisse haereticorum inter Christianos familias *d*), ortas quidem communi de fonte *philosophiae orientalis*, (unde nonnulla iam *Simon* hauserat,) quae tamen postea *graecae*, inprimisque *eclecticae*, imo et *iudaicae*, coniuncta est *e*). In harum auctoribus *Cerinthus* fuit, Iudaeus Aegyptius, extremo Sec. I. in Asia minore semina doctrinae spargens, qui libros divinos ita interpretatus est, ut orbem ab Aeone quodam, qui sit idem Deus Iudaeorum, a summo illo diversus, conditum traderet; *Christum* autem et ipsum ex Aeonibus fuisse; sed per aliquod tempus Iudaeo homini *Iesu* copulatum, et veri Dei notitia homines imbuentem. Idem primus inter Christianos sperandum ipsis auctore *Christo* beatum in his terris *regnum mille annorum* pollicitus est *f*). Eiusdem aetatis et iisdem fere locis adoptata fuit a nonnullis *Nicolaitarum* haeresis, quae ad *Nicolaum* Diaconum Hierosolymitanum refertur; qualis fuerit, non liquet *g*).

a) *Act. Apost.* VIII, 9 sq. *Iustin. Mart.* Apol. I. c. 34. *Iren* adv. haeres. L. I. c. 23. Recognit *Clem. Rom.* L. I. c. 19 sq. 74. L. II. III. *Euseb.* H. E. L. II. c. 13. 14. Vtrum *duo Simones* fuerint? De *crimine Simoniae*.

b) *Epi-*

b) *Epiphan*. haer. 13.

c) *Iustin. Mart.* Apol. II. c. 34. 73. *Iren.* adv. haer. L. I. c. 23. *Euseb.* l. c. L. III c. 26. *Epiph.* haer. 22.

d) *Car. Christ. Tittmanns* de vestigiis Gnosticor. in N. Test. frustra quaesitis, Lips. 1773. 8.

e) *Iren.* adv. haer. L. II. c. 14. *Tertull.* de praescr. c. 7. *Moshem.* Instit Hist. Eccl. maior, Sec. I. p. 136 sq. 339 sq. *Brucker.* Hist. Crit. Philos. II. 639 sq. VI, 400 sq. *Walch* Hist. haeres. I, 224 sq.

f) *Iren.* l. c. I. 26. III, 11. *Euseb.* Hist. Eccl. III, 38. VII, 25. *Epiphan.* haer. 23. Huic Euangelium suum opposuit *Ioannes* Apost. teste *Irenaeo.* L. III. c. 11. *H. E. G. Pauli* Diss. de Cerintho.

g) *Apocal.* II, 6. 15. *Iren.* I. c. II, 27. III. 11. *Clem. Alexandr.* Strom. L. II. p. 490 sq. L. III. p. 522. ed. Potteri.

§. XI.

Maiori impetu Seculo II. a Sectis Gnosticis.

Sed agmine velut facto *Gnosticorum* sectae a temporibus inde *Adriani*, h. e. ab a. CXVII. in Ecclesiam Christi irruerunt, neque paucos illic traxerunt in castra sua a). Signum sustulerunt inprimis ex illis *Saturninus* Antiochenus b): *Basilides* c) et *Carpocrates* d), Alexandrini; *Valentinus*, et ipse Aegyptius e); proximi autem ab his, qui ad a. usque CXXX et sequentes floruerunt, *Cerdo* et *Marcion* f), ille Syrus, hic e Ponto oriundus. Hi omnes philosophaturi de origine mali in orbe terrarum, in eo fere consentiebant, ut hunc a Deo summo, eodemque bono, creatum negarent; sed eum opus esse dicerent geniorum quorumdam, ex prava et aeterna materia conflatum, cuius etiam particula sit corpus humanum, iunctum tamen animae, ex luce divina ortae; venisse igitur *Christum*, *Aeona* et legatum Dei, ad homines, corpore non vero instructum, et qui propterea nec vere passus sit ea, quae scriptores vitae eius referant; (unde *Docetarum* et *Phanta*-

sia-

siastarum nomen *g*);) hoc autem egerit unice, ut homines a *Demiurgo*, seu orbis conditore, qui Iudaeorum Deus sit, ad supremi Dei cultum, et animas ad lucem coelestem reduceret. Haec illis communia; ceterum quisque ingenio suo usus est ad ea *varie exornanda* et *amplificanda*. *Litterarum sacrarum* partem maiorem vel *abiiciebant*, ut omnes *Vet. Test. libros*, vel *mutabant* *h*). Notantur etiam *mores* eorum *perditi*; sed pracipue in discipulis, cum ipsi *austeriorem vitam* et *abstinentiam* a multis commendarent ac sequerentur. Inde *Encratitae* dicti, qui, *Tatiano* auctore, circa a. C. CLXX. in eiusdem generis sectam coierunt *i*).

a) *Hegesipp*. apud *Euseb*. H. E. L. III. c. 32. L. IV. c. 22. *Clem. Alex*. Strom. L. VII. p. 764. ed. Colon.

b) *Iren*. adv. haer. L. I. c. 24. *Euseb*. H. E. L. IV. c. 7. *Epiphan*. haer. 23.

c) *Iren*. l. c. *Clem. Alexandr*. Strom. Libris plerisque; inprimis L. II. p. 408. 409. L. III. p. 427. L. IV. p. 506. ed. Colon. *Euseb*. Hist. Eccl. L. IV. c. 7. *Epiphan*. haer. 24.

d) *Iren*. l. c. L. I. 25. L. II. c. 31 sq. *Clem. Alexandr*. Strom. L. III. p. 428 sq. ed. Colon. *Euseb*. l. c. *Epiph*. haer. 24. 27.

e) *Iren*. l. c. L. I. c. 1—22. L. II. c. 1 sq. *Tertullianus* Libro adversus Valentinianos *Epiphan*. haer. 31. et reliquiae operum *Valentini* ex Clem. Alex. et Origine collectae a Massueto, ad calcem Irenaei sui.

f) *Iustin. Mart*. Apol. I. c. 35. *Iren*. L. I. c. 27. *Tertull*. LL. V. adversus Marcionem. *Epiph*. haer. 42.

g) *Iren*. l. c. I, 22. 23. *Clem. Alexandr*. Strom. L. III. p. 465. L. VII. p. 765. ed. Colon. *Euseb*. Hist. Eccl L. VI. c. 12.

h) conf. *Barthol. Germon* de veteribus haereticis, ecclesiasticorum codicum corruptoribus, Paris. 1713. 8.

i) *Irenaeus* L. I. c. 28. L. III. c. 23. *Clem. Alex*. Strom. L. I. p. 378 L. III. p. 547 sq. 553. ed. Potter. *Euseb*. H. E L. IV. c. 16. 21. 28 29. L. V. c 13. De *minoribus* et obscurioribus *Gnosticorum sectis*, ut *Ophitis Adamianis*, cet. de *Bardesane*, *Euseb*. H. Eccl. L. IV, c. 30. *Epiph*. haer. 56.

§. XII.

§. XII.

Et Manete, Seculo III.

Adfinia his docuit *Manes*, qui et *Manichaeus* dicitur, Persa, philosophiae gentis peritus, quam tamen et scita sua cum religione christiana sociare studuit, ultimo demum supplicio adfectus, iubente rege Persarum, ad a. CCLXXVII. Hic *duo regna* statuit, alterum *lucis*, cui *Principium bonum* seu Deus praeesset, alterum *tenebrarum*, quod a *malo Principio*, seu Diabolo, *Hylen* adpellabat, regeretur; hunc partem animarum e regno lucis in potestatem suam redegisse; e quibus cum tenebris et malo permixtis, ortos esse *Adamum* et reliquos homines, duplici anima praeditos, quarum altera a Deo derivanda sit, altera a Diabolo. Vt huic perturbationi mederetur Deus, misisse *Christum*, solis incolam, et corporis specie quadam indutum, qui homines ab imperio tenebrarum ad Dei obsequium revocaret, iisque severiorem *vivendi disciplinam* praeiret. Se quidem παράκλητον esse a *Christo* promissum, hoc est, doctorem eximiis dotibus vel Apostolos vincentem. *Secta* hominis *longius* ceteris inter Christianos hoc aevo natis, maxime Gnosticis, *floruit*, cum quibus illi haec quoque similitudo intercessit, ut quamdam de rebus divinis humanisque *philosophiam*, sub *ingenii luxuriantis imaginibus* latentem, in locum christianae religionis substitueret, emendatiorem hanc omnino non redderet *).

*) *Manetis* epistola fundamenti, singulari libro confutata ab *Augustino*, ac reliquiae epistolarum eius apud eumdem, et *Fabricium*, Biblioth, Graec. L. V. p. 284 sq. Acta Disputationis *Archelai* cum *Manete*, in *Fabricii* Hippolyto, Vol. II. p. 134 sq. *Abulpharaius* in hist. Dynastiar. p. 82 sq. vers. lat. et alii apud *Hydium* de relig. vett. Persar. p. 280. *Augustinus* LL. XXX. contra Faustum, et aliis operibus plurimis. *Euseb*. Hist. Eccl. L. VII. c. 31. *Epiph*. Haeres. 66. *Socr*. H. E. L. I. c. 22. *Titus Bostr*. adv. Manich. in *Canisii* Lectt. ant.

ant. T. I. p, 50 sq. ed. Basn. *Io. Christoph. Wolfii* Manichaeismus ante Manichaeos, 1708. 8. *Isaac Bellosobrii* Hist. Manichaei et Manichaeismi, gallice scripta, Amstel. 1734. 1739. 2 Voll. 4. *Lardneri* Fides hist. euangel. P. II. Vol. III. vers. germ. p. 350—760. *Moshem* item in Commentariis, *Semler*, in Hist. dogmatt. et *Walchius* in Hist. haeresiol.

§. XIII.

Capita quaedam christianae religionis vitiata ab aliis sectis.

Aliis de fontibus manarunt sectae nonnullae, in *singularibus* quibusdam *sententiis* a communi Christianorum doctrina discedentes. Levius fere errabant ineunte Seculo secundo, *Nazaraei* [a]), et *Ebionitae* [b](, qui *necessitatem observandae legis Mosaicae Christianis impositam* volebant; quam tamen opinionem Apostoli graviter reprehenderant [c]). Sed *Ebionitae* etiam *Christo* divinitatem negasse dicuntur. Mox plures, eodem et sequenti Seculo, *Christianorum de Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto doctrinam correcturi* oppugnarunt, ut *Theodotus Byzantinus* [d]), et *Artemon* [e]), sub finem Seculi II; *Praxeas*, Asia oriundus, eiusdem aetatis *f*)*,* *Noëtus*, Smyrnensis, post a. CCXX, [g]); *Sabellius*, Afer, post a. CCL [h]); et *Paulus Samosatenus*, Episcopus Antiochenus, munere deiectus a. CCLXIX [i]). Qui omnes *unum Deum* eundemque *Patrem* confitentes, quae de *Filio* et *Spiritu diuino* tradunt sacrae litterae Christianorum, ad *virtutes* fere vel *nomina Dei* referebant; partim etiam *hominem tantum in Christo* agnoscebant. Incaute sine dubio philosophantes; sed quasdam etiam catholicorum voces iure suo, quod credebant, fugientes. His addendi *Hermogenes*, philosophus Stoicus inter Afros, sub exitum Seculi II. qui *materiam aeternam* esse defendit [k]); aliique non dissimiles medio Seculo III. qui errores suos deposuerunt [l]).

a) Epi-

a) *Epiphan.* haer. 29. *Sulpic. Sev.* Hist. S. L. II. c. 31. De *Euangelio Hebraeorum.*

b) *Irenaeus* adv. haer. L. I. c. 26. *Tertull.* de Praescr. c. 33. *Eusebius* Hist. Eccles. L. III. c. 27. *Epiphan.* haer 30.

c) *Paullus* Epist. ad Romanos et Galatas.

d) *Euseb.* H. E. L. V. c. 28. *Epiphan.* haer. 54. 55. Append. ad *Tertull.* L. de Praescr. c. 53.

e) *Euseb.* l. c. et L. VII. c. 30. *Epiph.* haer. 65. De *Alogis. Epiph.* haer. 51. 54.

f) *Tertullianus* adversus Praxeam.

g) *Hippolytus* adversus Noëtum. *Epiph.* haer. 57.

h) *Eusebius* H. E. L. VII. c. 6. *Athanas.* de sententia Dionys. Alex. *Epiphan.* haer. 62.

i) *Euseb.* Hist eccl. L. VII. c. 27. 29. 30. *Epiph.* haer. 65. De *Conciliis Antiochenis* in eius caussa habitis.

k) *Tertullian.* Libro adversus Hermogenem. *Idem* de anima c. 1. 4. de praescriptt. haeret. c. 30. *Augustin.* de haeres. c. 41.

l) De *Beryllo* Bostrensi, *Euseb.* H. E. VI, 20. 33. et *Arabicis*, ib. c. 37.

§. XIV.

Fides Christianorum publica et catholica. Origines Theologiae Christianae.

Neque vero inter eos, qui doctrinae a *Christo* traditae tenaciores erant, *omnis mutationis expers* fuit haec religio. Quo minus gravissimam pateretur, obstitit eorum *erga sacras litteras reverentia*, ad quam normam, quae credenda essent cunctis et facienda, semper exigebant. Etsi enim *nonnullae* superarent *de scriptis quibusdam Apostolorum dubitationes*: tamen et *paucorum* erant, et *leviores pleraeque*; nec *summae religionis* ex illo fonte repetendae oberant. Hoc vero docent partim *scripta Patrum huius aetatis*, in hoc fidei compendio inter se non diversa a), partim professiones fidei seu *Symbola*, quae vel a *privatis* edita sunt,

sunt, v. c. ab *Irenaeo* b), *Tertulliano* c), *Origene* d), et *Gregorio Thaumaturgo* e); vel *auctoritate publica* composita et confirmata, ut formulae a baptizandis recitatae, quibus postea *Apostolicum* nomen haesit f), et symbolum *Antiocheni concilii* a. CCLXIV. vel CCLXV g). Sed cum in his simplicior et brevior fidei expositio regnaret: a *medio* fere *Seculo II.* introducta in Ecclesiam *philosophia graeca*, et multarum *cum gentilibus* et *hareticis disputationum* necessitate oborta, aliisque de caussis, contigit, ut *doctius* et *subtilius* non pauca *religionis capita* traderentur h).

a) vi *Clem. Rom.* Epist. ad Corinthios. *Iustin. Mart.* Apol. I. *Athenag.* Deprec. pro Christianis, alios. Excerpta sententiarum de religione e scriptis Patrum huius aevi, post *Centuriatt. Magdeburgicos* et *Abr. Scultetum*, diligenter inprimis collegerunt *Dionys. Petavius* in Dogmatibus Theologicis, *Tho. Ittigius* in Select. Capitt. H. E. Sec. I. et II. *Semlerus* in historia dogmatum christianorum; germanice scripta, et *Christ. Fried Roeslerus*, eodem sermone usus, in libello de Doctrina Christ. trium primorum Seculorum; et in Bibliotheca Patrum.

b) *Iren.* adv. haer. L. I. c. 10.

c) *Tertull.* de veland. virginibus c. 1. adv. Prax. c. 2. de praescriptt. c. 13.

d) *Origen.* περὶ ἀρχῶν, praefat. p. 47 sq. T. 1. Opp. ed. Ben.

e) *Greg. Thaumat.* Expositio fidei, p. 1. Opp. Paris. 1622. fol. Adde Symbolum *Novatiani* Libro de Trinit: alia.

f) *Constit. Apost.* L. VII. c 42. *Rufinus* Exposit Symboli. Conf. dicta supra C. II. §. 5.

g) In *Mansii* Collect. Concil. T. I. p. 1033 sq. Conf. *Georg. Bulli* Iudicium Ecclesiae Cathol. trium primorum Seculor. de necessitate credendi, quod Dom. noster I. C sit verus Deus; Amst 1696. 8. et *C. G. F. Walchii* Bibliotheca symbolica vetus. Lemgov. 1770. 8. Quaenam fuerit *Regula fidei* in Ecclesia huius aevi?

h) Primus tentavit hanc rationem *Iustin. Martyr*, postea *Athenagoras, Clemens Alexandr. Origenes.* alii V. *Io. Georg. Rosenmüller* de christ. theologiae origine, Lips. 1786. 8.

§. XV.

§. XV.

Progressus huius theologiae. Dicendi genus singulare.

Ac primum quidem *doctrina Scripturae sacrae* comparata est *cum philosophia Graecorum*, ut utriusque *consensus* mutuus, quoad licuit, declaratus. Inprimis *Platonis* sententiae vehementer placuerunt christianis doctoribus; sed magis etiam *eclectica* philosophandi ratio *a*). Mox operam dedere, ut vel in proprio religionis suae fundo, *philosophi tantum* viderentur *b*), alliciendis ad sacra sua Graecorum et Romanorum ingeniis. Horum philosophiam et litteras omnes ingenti successu commendarunt Christianis maxime doctores *scholae Alexandrinae*, quae eruditissimos Ecclesiae antistites et scriptores dedit *c*). In his *Clemens arcanam religionis scientiam*, *γνῶσιν* vocabat, argutis observationibus innumeris complexus, omnem doctrinae gentilis apparatum eidem accommodavit *d*). Idem egit maior praeceptore *Origenes*, qui non modo *grammaticam s. litteralem interpretationem* princeps docuit; sed etiam diligentius ceteris de *caussis dogmatum christianorum* quaerere coepit *e*). Ita cum scientia *formulae loquendi* nisi prorsus novae; at certe quae *novam potestatem* subiectam haberent, aliae *ἀκριβείας* caussa receptae, aliae petitae a ritibus quibusdam et religionis imaginibus, v. c. *Τρίας*, *ὑπόστασις*, *παράδοσις*, *προσφορὰ*, *οἰκονομία*, *μετάνοια*, *Trinitas*, *persona*, *traditio*, *oblatio*, *sacrificium*, *sacramentum*, *poenitentia*, et id genus alia.

a) *Brucker* Hist. Crit. Philos. T. III. p. 269 sq. T. VI. p. 534. De *Platonismo* Patrum, *Suveraenii* liber germ. versus et auctus a *Löfflero*, et adversus eum *Keilii* dispp.

b) v. c. *Iustinus* et *Athenagoras* in tradendo dogmate de resurr. mortuorum.

c) Eu-

c) *Euseb.* H. E. L. V. c. 10. 11. L. VI. c. 26. *Hieron.* Catal. Scriptt. Eccl. c. 36.

d) In Stromatibus maxime. L. I. p. 274 sq. ed. Colon.

e) *Origen.* LL. IV. περὶ ἀρχῶν. *Ernesti* Diss. de Orig. interpretat. libror. sacror. grammat. auctore.

§. XVI.

Sententiae quaedam catholicorum a simplicitate christianae religionis aberrantes.

In his tamen ingeniosior illa et accuratior religionis docendae ratio non substitit; sed ad *scita* quaedam delapsa est, multo *plus artis quam veri referentia*, atque in his etiam non parum *noxia*. Nam intemperantius *allegoricae interpretationis s. litterarum* studium *multiplicem* illis *sensum* affinxit, easque torquere coepit pro lubitu *a*). Multa iusto subtilius de *Patris*, *Filii et Spiritus divini natura* atque *inter se relatione* tradita *b*). *Peccatorum venia*, post *Christi* beneficium, etiam a *martyrio*, ab *eleemosynis*, et aliis, repetita *c*). *Purgatio* quaedam *animarum per ignem post fata* instans, a *Pythagoreis* et *Platonicis* recepta *d*). *Coena Dominica* iam et *infantibus degustata e*). Spes de *regno mille annorum in his terris a Christo condendo*, late propagata *f*). De *actis et potestate daemonum in homines* multa mirabilia credita *g*). *Mysticae* autem *theologiae*, quae et ipsa e *Platonicis* decretis, austeriori multorum ingenio, et male intellectis s. litterarum locis, nata est *h*), amor, plurimis persuasit, *sublimiorem multo sanctitatem, quam Christus et Apostoli commendassent*, sibi sectandam superesse. Hinc *Ascetarum* Seculo II *i*), *Eremitarum* Seculo III *k*), et *Monachorum* ineunte Seculo IV *l*), instituta natales duxerunt. Solemne ceterum fuit doctoribus christianis huius aevi, *severiora vitae morumque praecepta* suadere *m*).

a) v. *Clem. Alexandr.* Stromata, inprimisque *Origen.* [illegible]

F

ment in Matth. T. X. p. 458. T. III. ed. Bened. περὶ ἀρχῶν L. IV. p. 168. T. I. Opp. cet.

b) *Iustin. Mart.* Apol. I. c. 5. 16. ed. Thal. *Athenag.* Deprec. pro Christ. p. 80 sq. ed. Rechenb. *Iren.* adv. haeres. L. IV. c. 7. *Clem. Alex.* Strom. L. V. p. 598. ed. Colon. *Orig.* περὶ ἀρχῶν L. I. p. 53 sq. ed. Ben. adv. Cels. L. II. p. 393. L. V. p. 608, T. II. Opp.

c) *Origen.* Exhort. ad martyrium, p. 192. ed. Wetsten. *Cyprian.* de Opere et eleemosynis, p. 197. ed. Brem.

d) *Clem. Alex.* Strom. L. IV. p. 634. L. VII. p. 865. 866. 879. ed. Pott. Quo pertinet etiam dogma *Iustino*, *Irenaeo*, *Tertulliano* et *Origeni* probatum, piorum animas, relicto corpore, in occultis quibusdam locis latere ad supremum usque iudicium.

e) *Cyprian.* de Lapsis, p. 132. ed. Brem.

f) *Papias* apud *Euseb.* H. E. L. III. c. 39. *Iustin. Mart.* Dial. cum Tryph. p. 307 sq. ed. Colon. *Iren.* adv. haeres. L. V. c. 33 sq.

g) *Iust. Mart.* Apol. I. c. 5. *Athenag.* Deprec. pro Christ. p. 238 ed. Rechenb. *Tertull.* Apol. c. 22. 23. *Origen.* adv. Celsum L. VII. p. 334. 374. 378 cet. ed. Spenc.

h) Semina huius doctrinae copiosa sparserunt post *Iustin. Martyrem*, *Clemens Alexandr.* et *Origenes.* v. *Moshemius* Comment. de rebus Christian. ante Const. M. p. 313 sq. p. 658 sq. Plenius exposita est in *Dionys. Areopagitae*, qui credebatur, Opere de Theol. Mystica. Conf. *Iac. Thomasium* in Originib. historiae philos. et ecclesiast. et *Gothofr. Arnoldum* in Historia Theol. mysticae.

i) *Athenag.* l. c p. 298. ed. Rechenb. *Tertull.* Apolog. c. 9. de patientia c. 14. de cultu foeminar. c. 9. *Euseb.* H. E. L. II. c. 17. *Sal. Deyling* de veterum Ascetis, Observatt. Sacr. P. III. p. 441 sq. et copiosius ceteris, sed in distinguendis temporibus non satis accuratus, *Nic. Antonellus*, Diss. de Ascetis, adiuncta *Iac. Nisib.* Sermonibus, Rom. 1756. fol.

k) *Hieron.* in vita *Paulli Thebani.* *Athanas.* in vita *Antonii.*

l) Auctore *Antonio*, Paulli Theb. discipulo. *Sozom.* H. E. L. I. c. 12. 13. *Altesterrae* Asceticon seu Origg. Rei Monasticae LL. X. Paris. 1674. 4. rec. Halae.

m) V. c. de fugiendis nuptiis secundis, militia, iureiurando. cet. Vide *Remig. Ceillier* et *Io. Barbeyracii* de Patrum doctrina morali lites.

§. XVII.

§. XVII.

Libertas docendi inter eos. Controversiae theologicae.

Sed cum in permultis *liberiores* essent hi doctores per rationes aetatis suae *posteris*, qui docendae religionis formam omnem ad certas regulas adstrinxerunt: rarius etiam certavere inter se de gravioribus sententiis, quae vel tum a plerisque, vel certe postea summo consensu repudiatae sunt. Itaque licuit illis *abiicere libros*, quos *reliqui pro divinis* haberent *a*). *Peccatum* in homine clarissimi eorum *non* tam *ab insita quadam naturae eius corruptione*, quam aliis e caussis, derivarunt *b*). Iidem *optimos gentilium a spe salutis* apud Deum adipiscendae *minime alienos* fuisse existimarunt *c*). *Origenes* tamen, qui ingenii exercendi caussa, etsi modestiam professus, multa argutius de *Deo*, *anima humana*, *daemonibus*, *astris*, *poenis inferorum*, aliisque rebus, disseruit, unus omnium maxime plurimorum et acerbissimas reprehensiones superstes ac fato functus incurrit *d*); caussae odii in eum facile edi possunt. Praeclaro etiam consilio, et fausto eventu, *Dionysius Alexandrinus Nepotis* commentum de *regno Christi* terreno, *voluptatibus abundaturo*, circa a. CCLIV. oppugnavit *e*). Quae eodem fere tempore inter *Stephanum* Romanum, et *Cyprianum* Carthaginiensem Episcopum, cui Africanae ecclesiae adhaeserunt, de *baptismo haereticorum*, *utrum vero?* an *iterando*? gesta est controversia; post magnos animorum motus, libertatem in ea quaestione Christianorum non sustulit *f*). Felix certe eo nomine Ecclesia huius aevi fuit, quod *vix ulli* doctorum auderent *placita sua pro mandatis divinis venditare*; omnes autem *summam religionis ad sacrarum litterarum auctoritatem* revocarent.

a) v. supra C. II. §. 4.

 b)

b) *Iust. Mart.* Apol. I. c. 54 sq. p. 40. ed. Thalem, *Irenaeus* advers. haeres. L. IV. c. 37. sq. *Clem. Alex.* Stromat L. III. p. 468. ed. Colon. *Origen*. praes. ad Ll. περὶ ἀρχῶν, p. 48. n. 5. T. I. ed. Ben. *Cyprian.* ep 64. Pam. 59. p. 161. ed. Brem.

c) *Iustin. Mart.* l. c. cap. 61. *Clem. Alexandr*. Stromat. L. V. VI. VII. alii. v. *Casaub*. Exercit. I. ad Appar. Annal. Baronii, p. 2 sq.

d) Primus eum scripto appugnavit *Methodius*; (*Hieron*. de Vir. illustr. c. 83. *Socr*. H. E. L. VI. c. 13.) defendit *Pamphilus*. (*Hier*. l. c. c. 75. *Euseb*. H. E. L. V. c. 33. Socr. H. E. L. III. c. 7. L. IV. c. 27.) Conf. *Huetii* Origeniana.

e) *Euseb.* Hist. Eccl. L. VII. c. 24. 25.

f) *Cyprian*. ep. 69 — 74. Pamel. 76. 70 — 74. Epistola *Firmiliani* inter easdem epistt. 75. Acta Concilii in hac caussa habiti Carthagine a. 256. in *Cypr*. Opp. p. 229 sq. ed. Brem. *Euseb*. H. E. L. VII. c. 2 — 5. 7. 9. *August*. de baptism. contra Donatist. L. I. sq.

§. XVIII.

Ritus Christianorum sacri.

Simplicitati quidem *huius religionis* mente et animo figendae *obesse* videbantur *ritus non pauci*, quos cum ea coniunxit Ecclesia. Sed ii plerique omnes non degenerem de sacris suis Christianorum sententiam prodebant; *nec multitudine* aut certo *superstitionis contagio graves* erant; *libertatem* autem illis dignam *non prorsus tollebant* a). Alios eorum *Apostoli* vel *instituerunt* vel *probarunt*, ut *conventuum ecclesiae Hierosolymitanae* formam b). *Diem dominicum* c), *Agapas* d), cet. Alios adiecere *ecclesiae singulae*, mox pluribus aut omnibus placentes; qualia fuere *Pascha* et *Resurrectionis dominicae festum*, utrumque diversa consuetudine Christianorum, et concertatione super eo exorta Seculo II. nobile e); *Pentecoste f*), *Parasceue g*), *Natalitia* item *Martyrum h*), *Ieiunia* plura, in his *feriae quartae et sextae i*), signum

Cru-

Crucis k), caerimoniae *Baptismi* l), et his similia. Ostendunt autem vel *caussae auctorum rituum*, non hoc egisse Christianos, ut ad caerimoniarum levitatem deiicerent religionem suam. Nam et *Iudaeis* aliquid concedendum erat ad sacra christiana transgressis, nec facile ritus patrios dimittentibus, unde *Sabbathi* observatio apud Christianos plurimos perduravit m); et *imagines* quaedam, *monumenta ac symbola rerum divinarum* utilem populo christiano recordationem suscitabant: et ipsa *docendi forma* quosdam ritus generabat. In nonnullis horum, quibus et *preces pro mortuis* n) atque *exorcismus* o) addi possunt, fomites quidam inerant superstitiosae pietatis.

a) Cultum Deo publicum, sed privatis primum in aedibus, qualem reddiderint Christiani, docent inprimis post *Actus Apostolor*. *Iustin. Martyr*. Apol. 1. c. 85 seqq. et *Tertullianus* Apologet. c. 39. de corona milit. c. 3. Conf. *Plin*. L. X. ep. 97.

b) *Act. Apost*. II, 44 sq.

c) *Act*. XX, 7. 1 *Corinth*. XVI, 2. *Apocal*. I, 10. Conf. *Ludov. Cappelli* Theses de Die Dominica, in Syntagm. Thes. Theologicar. Salmur. P. III. p. 581 sq. Salm. 1664. 4.

d) 1 *Corinth*. XI, 20. *Tertull*. Apologet. c. 39.

e) *Euseb*. H. E. L. IV. c. 14. 26. L. V. c. 23. 25. *Socrat*. H. Eccl. L. V. c. 22.

f) *Tertull*. de baptismo, c. 19. de idolol. c. 14.

g) *Origen*. contra Cels. L. VIII. p. 392 ed. Spenc.

h) *Tertull*. de corona mil. c. 3. Scorpiac. c. 15. *Greg. Nyssen*. in vita Greg. Thaumat.

i) *Clem. Alex*. Strom. L. VII. p. 877. ed. Pott. *Tertull*. de orat. c 14. de ieiuniis c. 2. 9. 10. Const. Apost. L. V. c. 15. *Dallaeus* de ieiuniis et quadragesima LL. IV. Daventr. 1654. 8. quem confutare studuit *Natalis Alexander*.

k) *Tertull*. de corona mil. c. 3.

l) *Idem* l. c. de baptismo, inprimis c. 6 sq. Historia *paedobaptismi* huius aetatis.

m)

m) Constit. Apost. L. II. c. 59. L. V. c. 20. L. VII. c. 23. *Albaspin.* de vet. Eccl. ritib. L. I. Obs. XIII.

n) *Tertull.* de cor. mil. c. 3. de monog. c. 10. *Cypr.* ep. 1. Pam. 66. et 39. Pam. 34. Const. Apost. L. VIII. c. 41.

o) *Tertull.* de anima c. 59. de cor. mil. c. 11. *Cypr.* ep. 69. Pam. 76.

§. XIX.

Disciplina eorum ecclesiastica. Montanistae. Novatiani.

Alios ritus et quamdam *disciplinae externae severitatem* instituit Ecclesia, admonita et in eo ab Apostolis a), *ut* tuendae apud cives suos et *puritati religionis et morum integritati* modis omnibus *consuleret.* Nam non modo *audacius corrumpentes doctrinam christianam* b); sed etiam *gravius peccantes*, hoc est, *crimina* quae *capitalia* dicebantur c), admittentes, ecclesiae suae decreto *a communione sacrorum arcebantur*; unde ἀφοϱισμὸς et *excommunicatio.* Neque iis ad illam, nisi *poenitentia publice acta*, per quam *satisfieret ecclesiae*, reditus patebat. Eius partes *Confessio* et *Satisfactio* erant d). *Haereticis* errores deponendi; *Lapsis* multa per longius tempus mutatae in melius mentis ac vitae signa edenda erant. Hinc *gradus* qui dicti sunt *poenitentiae*, a tertio inde Seculo sensim orti: πϱόκλαυσις, ἀκϱόασις, ὑπόπτωσις et σύςασις e). Etsi autem hic rigor *fructu* minime careret, etiam *ad hostes christianorum*; erant tamen subinde in media ecclesia, qui illum et universam *de moribus regendis doctrinam acriorem* et *austeriorem* esse vellent. Ita *Montanus* e Mysia Asiae oriundus, ad a. C. CLVII. auctore *Paracleto* divino, quem se accepisse iactabat, instituta *ieiuniorum* et *coniugii* emendanda, *lapsis numquam pacem* ab Ecclesia dandam, alia his adfinia, praecipiebat f). In *adseclis* eius, qui *Montanistae* et

et *Cataphryges* adpellati sunt, omnium clarissimus fuit *Tertullianus* g). Posthac *Novatianus*, presbyter Romanus, ab a. CCLI. eamdem *de lapsis* sententiam defendit cum suis, qui *Novatiani* et *Καθαροὶ* vocati, *schismate* turbarunt Ecclesiam h). Vterque animo quam iudicio rectior, iniquiores saepe expertus est adversarios. Quae omnia arcte cohaerent cum Idea *catholicae* ecclesiae, quam quidem notionem *Cyprianus* mirum quantum excoluit atque promovit i).

a) 1 *Corinth.* V. 2. 13.

b) *Tertull.* de Praescript. c. 30. *Euseb.* Hist. Eccl. L. IV. c. 11.

c) Ex *Act.* XV. *Tertull.* de Pudicit. c. 12. Conf. *Plin.* L. X. ep. 97.

d) *Iren.* advers. haeres. L. I. c. 13. *Tertull.* de Poenitentia. *Cyprianus* Libro de Lapsis, et in Epistolis. *Io. Morinus* de administratione Sacramenti Poenitentiae. *Io. Dalleus* de poenis et satisfactionibus humanis, LL. VII. *Lud. Elliès du Pin* de antiqua Ecclesiae disciplina, Dissert. tertia.

e) *Gregor. Thaumat.* epist canon. Opp. p. 1. ed. Paris.

f) *Euseb.* Hist. Eccl. L. IV. c. 27. L. V. c. 3. 14. 16 — 19. *Epiph.* haer. 48. *G. Wernsdorf* de Montanistis Seculi II. vulgo creditis haereticis. Dant. 1751. 4.

g) Cuius libri de velandis virginibus, de fuga in persecutione, de ieiuniis, de monogamia, de pudicitia, et plures alii, scripti sunt ab eo, cum iam ad has partes transiisset.

h) De *Novatiano*, qui et *Novatus*, *Cyprian.* Epistolarum locis plurimis. *Euseb.* Hist. Eccles. L. VI. c. 43. 45. *Socrat.* Hist. Eccl. L. IV. c. 28. alii. De libro eius de *Trinitate*. De lite super *libellis pacis*, *Novato* Carthag. et schismate *Felicissimi*, *Cyprian.* de Laps. et in Epistt.

i) *Cyprianus* de unitate Ecclssiae. Hencke hist. antiquior dogm. de unit. eccles. in Ej. Opusc. Lips. 1802. De literis formatis v. *Kiesling* de stabili primitivae ecclesiae ope literarum communicatoriarum connubio. Lips. 1745. 4.

§. XX.

§. XX.

Vis religionis christianae in vita et moribus.

Omnino autem hoc *diligenter actum* est a Christianis huius aetatis, *ut religio* eorum, quae tota esset ex consilio divino practica, non doceretur tantum, aut ritibus expressa niteret; sed *ad usum et exercitationem perpetuum transferretur.* Intelligebant omnes, hanc esse religionem illam, quae multo meliores et reipublicae salutares praestaret suos, officiis suis Dei caussa fungentes, hostibus etiam venerandos, et futurae vitae semper memores. *Adiuvabant vitae* Christianorum *sanctitatem* crebrae *vexationes et capitis discrimina* ipsis metuenda *a*). Accidit quidem *nonnumquam*, ut vel per *levitatem ingenii* quorumdam, vel laxatis quasi *tranquillitate publica*, opumque et honorum indulgentia frenis, *mores* quoque *Christianorum in mollitiem*, atque adeo in *vitia* resolverentur. Quod inprimis *Deciana* tempestas patefecit, permultis tum eorum turpiter labentibus *b*). Nec dissimilis eorum magna pars Christianorum sub initia persecutionis *Diocletianeae* fuit *c*). Accessit foeda τῶν συνεισάκτων consuetudo *d*); nonnulla *erga errantes*, in fide vel disciplina ecclesiastica *inhumanitas e*), alia. Sed neque latissime fusi erant hi mores, et cito ac sollicite correcti saepius: ut dubitari non possit, *christianorum* huius aevi *plerosque*, quantum humana pataretur imbecillitas, *virtutem religionis* suae, multo quam posteros eorum felicius, ipsa *vita expressisse f*).

a) Ambitiosius aliquanto mores primorum Christianorum laudarunt libris vernaculis *Cl. Floridus* (*Fleury*) Gallus, *Guill. Caveus.* Anglus, et *Gothofr. Arnoldus*, Germanus.

b) *Cyprian.* de Lapsis, p. 123. sq. ed. Brem. De *Sacrificatis, Thurificatis* et *Libellaticis.*

c) *Euseb.* H. E. L. VIII, c. 1. De *Traditoribus.*

d)

d) *Cyprian.* ep. 4. 13. 14. ed. Brem. *Dodwell.* Diss. III. Cyprian.

e) Iam et schismatici non lenius haereticis tractati; subinde et conviciis pugnatum. Inhumata iacuere *Noeti* et fratris cadavera. *Epiphan.* haer. 57. p. 480. Tom. I. Opp.

f) De vi, quam in his seculis prioribus ad emandandos hominum animos exseruit christiana religio v. *Gotfr. Arnold* Abbild. d. ersten Christen, aliaque eiusdem viri scripta. *Cavii* Primitive Christianity or the religion of the ancient christians in the first ages of the gospel. S. ed. Lond. 1689. *Paetzii* scriptum Gotting. praemio ornatum. 1799. 4.

TABVLA CHRONOLOGICA
PERIODI PRIMAE.

Epochae illius et vicissitudines nobiliores.

I. *Iesu Christi vita* inter homines, et *religio ab eo condita.* Ab a. I — XXXIII.

II. *Apostolorum cum collegis* et *discipulis acta* et *scripta. Simplicitas religionis* et *doctorum.* Ab a. XXXIV — CXXX.

III. *Iustinus* M. et *Athenagoras. Philosophiae Graecae* cum *Christiana religione coniunctio. Apologiae. Ascetae. Haereses. Gnosticae.* Ab a. CXXX — CCL.

IV. *Origenes* et *Cyprianus. Interpretatio* Scripturae sacrae *grammatica* et *allegorica.* Theologia *mystica* et *Eremitae.* Doctrina de *Trinitate* oppugnata. *Mores* Christianor. *mutati.* Crescens *Episcopp.* auctoritas. Ab a. CCL — CCCVI.

A. G.

A. C.

1 *Iesus* nascitur. *Augustus* et *Herodes* M. regnant. *Livius*. *Strabo*.

2 *Herodis* mors. Succedit *Archelaus filius*; postea Ethnarcha Iudaeae, Idumaeae et Samariae, divisum imperium cum fratribus gerit.

10 *Archelai* exilium. *Iudaea* provincia Romana, *Procuratoribus* paret.

12 *Iesus* templum Hierosolymit. ingressus.

14 *Augusti* mors. Successor *Tiberius*.

26 *Pontius Pilatus*, Procurator Iudaeae.

29 *Iesus* a Iohanne baptizatus.

30 *Iesus* docendi initium facit.

33 Mors *Iesu*. Eiusdem *reditus in vitam*. *Ecclesia* Christ.

35 *Paullus* ad sacra christiana accedit.

37 *Tiberio* mortuo *Caligula* succedit.

38 *Agrippa*, *Herodis* M. nepos Rex Iudaeae.

39 *Christianorum* nomen *Antiochiae* exortum.

40 *Philonis* Alexandrini ad *Caligulam* legatio.

41 *Culigula* interemtus. *Claudius* Caesar. *Matthaei* historia euangelica forte h. a. scripta.

42 *Simon Magus* Romae.

44 *Iacobi maioris* Apost. caedes Hierosol. *Agrippa* mortuo, *Iudaea* rursus provincia Romana.

49 *Controversia Antiochena* composita in Ecclesia Hierosol.

52 *Paulli* prior ad *Thessalon.* epistola Corintho scripta: mox et epistt. ad *Galatas Corinthios*, aliae.

54 *Claudii* successor *Nero*.

58 *Paullus* Corintho epist. ad Christianos *Romanos* mittit.

61 *Paullus* Roma ad *Ephesios*, *Colossenses* et alias Ecclesias scribit.

63 *Iacobus minor* Apost. lapidatur Hierosol.

Nero

A. C.

64 *Nero* Christianos supplicio adficit Romae.

65 Mors *Senecae* Philosophi.

66 *Belli Iudaici* initium.

67 *Petrus* et *Paullus* Apostoli hoc vel sequenti anno occisi Romae. *Paulli* Epist. posterior ad *Timotheum*.

68 *Nero* sibi mortem infert. *Galba* succedit. *Linus* Episc. ecclesiae Rom.

69 *Galba* trucidato, *Otho*, *Vitellius*, denique *Vespasianus* imperium occupant.

70 *Hierosolymae* exeidium. *Iosephus*, Iudaeorum historicus.

78 *Peregrinus* inter Christianos.

79 *Vespasianus* moritur. *Titus* patri succedit. *Plinii* maioris mors. *Apollonius Tyanensis*. *Anacletus* Episc. Rom.

81 *Titi* mors. *Domitianus* Caesar.

91 *Clemens* Episc. Ro. hoc vel proximo anno.

95 *Domitianus* Christianos vexat. *Iohannis* Apost. exilium. *Epictetus*.

96 *Domitianus* caesus. *Nerva* Caesar. *Iohannes*. Ap. Ephesi. Eius *Apocalypsis*. *Cerinthus*.

98 *Traianus* imperium capessit. *Tacitus*. *C. Plinius* Caecilius Secundus. *Quinctilianus*. *Suetonius*. *Plutarchus*.

100 *Iohannis* Apost. mors in hunc vel sequentem annum refertur. *Clementis* Rom. obitus.

106 *Ignatius* Antioch. Episc. a leonibus laniatur. Aliis a. 115.

117 Mors *Traiani*, cui *Adrianus* succedit. *Iudaei* rebelles. Gnostici, *Saturninus*, *Basilides*, *Carpocrates*, *Valentinus*. *Aquilae* versio V. Test. *Quadratus*. *Aristides*. *Celsus* philosophus.

132 *Bellum Iudaicum*, duce *Bar-Cochba*.

Post

A. C.	
138	Post *Adrianum* imperat *Antoninus Pius*. *Arrianus*. *Apuleius*.
139	*Iustini Mart.* Apologia prima.
140	*Cerdo* et *Valentinus* Romae.
150	*Marcion* paullo ante hunc annum Romae.
157	*Montanistarum* origines.
160	*Concilia* Christ. post hunc annum.
161	Initia Imperii *Marci Aurelii Antonini*. *Lucianus* philos.
163	*Iustinus Martyr* capite plexus. Aliis a. 165. *Crescens* philosophus.
169	*Polycarpi* Smyrnensis Episc. caedes. *Melito* Sardensis. *Miltiades*. Claud. *Apollinaris*. *Athenagoras*. *Tatianus*. *Theophilus* Antioch. Episc. *Papias* Hierap. Episc.
174	Narratio de *Legione fulminatrice*. *Theodotionis* versio libror. V. T. *Hegesippus*. *Dionysius* Corinth. Episc.
177	*Lugdunensis Viennensis* Eccles. calamitas. *Irenaeus* Episc. Lugdun.
180	*Commodus* Imperator. *Galenus*. R. *Iuda Hakkadosch*.
185	*Origines nascitur*.
192	*Sextus* Empiricus. *Bardesanes*. *Theodotus*. *Praxeas*. *Hermogenes*.
193	*Pertinax* imperio potitur. Hunc *Didius Iulianus* excipit, istum *Septim. Severus*. *Symmachus*, versionis librorum V. T. auctor.
194	*Pantaenus*, Catecheta Alexandr.
196	Lis de *Paschate*, inter *Victorem* Episc. Rom. et Asiaticos.
200	*Clemens* Alex. Pantaeni successor, floret. *Tertullianus* Carthagine. *Ammonius* Saccas, dux *Platonicorum recentiorum*.
202	*Severi* lex in Christianos et Iudaeos. *Minutius Felix* Romae. *Caius* Presbyter Rom.

Ori-

A. C.

204 *Origenes* Alexandriae docet.

211 Mors *Severi* Imper. cui succedit *Caracalla.*

215 *Origenes* Romam, dein Caesaream Palaest. venit; paullo post redit Alexandriam.

217 *Caracallae* interfecto *Macrinus* succedit.

218 *Heliogabalus* Imp.

221 *Iulii Africani* ad Heliogab. legatio.

222 *Heliogabali* caedes. *Alexander* Severus et *Iulia Mammaea,* Christianor. amici.

226 *Artaxerxes* Persa, devictis Parthis, *Persicum regnum* restituit.

230 *Hippolytus* floret.

231 *Origenes* Alexandria in Palaestinam secedit. *Dio Cassius. Philostrati.*

235 *Alexandri* successor *Maximinus*, Christianis gravis.

238 *Maximinus* occiditur. *Gordiani. Pupienus* et *Balbinus. Gordianus III.*

240 *Noëti* Smyrnensis dogma.

244 *Philippus* Arabs. Beryllus Bostrens. ab *Origene* meliora edoctus.

248 Annus V. C. M. *Ordines minores. Dionysius,* Ep. Alexandr. *Cyprianus* Episc. Carthag.

249 *Philippus* Imp. trucidatus. *Decius* succedit. *Christianos* insectatur.

250 *Decianae* persecutionis atrocitas. *Paulus Eremita. Sacrificati. Thurificati. Libellatici. Lites* de Lapsis. Schisma *Felicissimi.*

251 *Fabiani* Rom. et *Babylae* Autioch. mors. *Decius* in bello perit. *Gallus* Imp. vexationem Christianor. renovat. *Cornelius* Episc. Ro. Schisma *Novatianum.*

253 *Gallo* succedit *Valerianus. Stephanus* Episc. Ro.

254 *Origenes* moritur. *Nepotiani* in Aegypto.

Con-

A. C.	
255	Controversia de *baptismo haereticorum*.
257	Lex *Valeriani* in Christianos.
258	*Sexti* II. Episc. Rom. *Cypriani* Carthag. et *Laurentii* Diaconi martyrium. *Sabellius* Afer.
260	*Valerianus* a Sapore captus. *Gallienus*. Triginta tyranni, et Imp. Rom. perturbatio.
265	Mors *Dionysii* Alexandr.
268	*Claudius* Imperium R. pacat.
269	Concilium *Antioch.* tertium *Paullum* Samos. munere exuit.
270	*Aurelianus* Imperat. restaurator Imperii. *Gregorius Thaumaturg.* moritur hoc anno, vel proximis; *Plotinus* item Eclecticus. *Porphyrius*, discipulus eius, floret. *Anatolius* Episc. Laodic.
273	*Longinus* supplicio adfectus.
275	Caedes *Aureliani*, cuius successor *Tacitus*, et huius eodem anno *Probus*.
277	*Manetis* seu *Manichaei* secta. *Archelaus* Mesopot. Episc.
279	R. *Iochanan*, *Gemarae* Talmud. Hierosol. auctor, moritur.
282	*Probo* occiso, *Carus* cum filiis, *Carino* et *Numeriano*, regnat. *Pierius* Alexandriae.
284	*Diocletiani* annus primus. *Aera Diocletiana*, quae et *Martyrum*.
285	*Maximianus Herculius*, collega imperii.
292	*Galerius Maximianus* et *Constantius Chlorus*, Caesares. *Spartianus*.
294	*Methodius* Olympi Episc, *Lucianus* et *Hesychius*. *Pamphilus*.
297	In hunc annum vel in a. 285. *Legionis Thebaeae* martyrium refertur.
303	Leges hoc et sequenti anno a *Diocletiano* in

A. C.	
	in Christianos latae. Mala eorum *decennia Traditores*. *Arnobius* Afer.
304	Mors *Marcellini*, Episc. Rom.
305	*Diocletianus* et *Maximianus Herculius* imperio se abdicant. *Galerius* et *Constantius Augusti*. *Concilium Illiberitanum* hoc anno, vel aliquo e proximis. *Concil. Cirtense*.
306	Mors *Constantii*, patris *Constantini M*. *Meletiani* schismatis origines.

PERIO-

PERIODVS SECVNDA
HISTORIAE
RELIGIONIS ET ECCLESIAE CHRISTIANAE
A CHRISTO AD CONSTANTINVM M.
H. E.
AB A. C. CCCVI. AD A. DCCC.

CAPVT I.

Historia propagatae et turbatae professionis publicae Religionis Christianae.

§. I.

Status Imperii Romani. Regna Germanica. Imperium Saracenicum.

Ineunte quidem hac periodo, plures *Augusti* et *Caesares* simul rem Romanam moderabantur; sed ab a. CCCXXIII. in unius *Constantini*, quem Christiani *Magnum* dixere, potestatem omnis perve-

venit a). Eo autem a. CCCXXXVII. et *Iuliano*, a CCCLXIII. mortuis, Imperium iam a longo tempore barbararum, h. e. maxime Germanicarum gentium incursionibus quassatum, sensim magna sui parte iis succubuit. Nam postquam illud *Theodosius* M. moriens a. CCCXCV. in *Orientem* et *Occidentem* partibus est, utrumque a filiis imbellibus regendum, *Occidentis Imperium* ab a. fere CCCC. adeo vastatum et laceratum est a populis illis, ut denique a. CCCCLXXVI. etiam nomen eius in *Romulo Augustulo* desineret. Ita nata sunt Regna Germanica, *Visigothorum* in Gallia et Hispania, *Burgundionum* in Gallia, *Vandalorum* in Africa, *Anglosaxonum* in Britannia, *Odoacri* in Italia, *Francorum* in Gallia, *Ostrogothorum* in Italia, *Seculo* quidem *quinto* post C. N.; *sexto* autem *Langobardicum* in Italia b). Quorum pleraque hoc ipso aevo conciderunt; ex superstitibus *Francicum* regnorum christianorum potentissimum factum est inde a medio seculo *octavo*, cuius anno LXXI. *Carolus* illud solus obtinuit c). *Oriantale* Romanorum *Imperium* non minori impetu iactatum per easdem et Asiaticas gentes, turbas etiam intestinas, perduravit tamen, victoriis quoque insigne sub *Iustiniano*, qui ad a. usque DLXV. regnavit d). Verum *seculo septimo* nobilissimas Asiae Africaeque provincias ei eripuerunt *Saraceni*, ducibus *Chalifis*, Imperii Arabici post *Muhammedem* rectoribus, qui eodem tempore *Persicum regnum* everterunt, et sub initia *octavi seculi Hispaniam* et *Lusitaniam* sui iuris fecerunt e).

a) *Euseb.* de vita Const. M. *Aurel. Victor* de Caesaribus. *Eutropii* Breviar. Hist. Rom. *Zosimi* Historia nova.

b) *Iidem. Ammian. Marcellini* Historia. *Idacius*, *Marcellinus* et *Prosper* in Chronicis. *Claudianus* variis carminibus. *Jornandes* de rebus Geticis. *Procopius* de bello Gothico et Vandalico. *Gregor. Turon.* Hist. Francorum. *Bedae* Hist. Eccles. gentis Anglorum. *Paull. Diaconus* de gestis Langobardorum. Alii. Ex scriptorum neote-

ricorum numero huc pertinet praesertim *Gibbon*, qui de interitu regni Romanorum anglice scripsit.

c) *Greg. Turon.* l. c. aliique apud *Quercetanum* et *Buquetum*, in Scriptt. Rer. Francc. inprimis autem *Eginhard* de vita Caroli M.

d) v. Scriptt. Rer. Byzantinarum a *Prisco* inde et *Procopio*.

e) Rursus Scriptt. Byzant. *Theophanes*, *Cedrenus*, alii. *Elmacin.* Hist. Saracen. *Abulphar.* Hist. Dynastiar. *Pagii* Crit. Ann. Baron. ad a. 710 sq.

§. II.

Status litterarum apud Christianos, Iudaeos et Saracenos.

Bonae autem *litterae*, donec Imperio Romano sua dignitas constabat, hactenus certe in eo florebant, ut iam *a gentilibus earum gloria ad christianos* transiret; etsi nec illis *philosophi*, *historici*, *poetae* et *rhetores* ac *sophistae* insignes deessent a). Postea melior doctrina *reipublicae fata secuta*; sed etiam *superstitioni*, *et monachorum* sub iugum missa, adeo *tristem*, maxime per *Occidentem*, induit *faciem*, ut vix *umbra* illius quaedam *unice apud sacrorum antistites* et *ministros* superesset. *Artes* liberales *Trivio* aut *Quadrivio* absolutae, hoc est, praeter elementa rudia nihil offerebant; quidquid religionem propius non tangeret, contemto *secularis sapientiae* nomine abiectum; *philosophiae Aristotelicae* species aliqua obscurior servata est, disputationibus et controversiis gerendis apta; nonnihil etiam operae in *compilandis rebus gestis* positum. *Colligere* et defendere dicta ab aliis, hoc vero erat *sapere*. Quam egregia quaedam ingenia, ut *Boethii* et *Cassiodori*, Seculo VI. lucem spargebant, posthac diligentia *Bedae* Seculo VII et VIII. ea in tantis tenebris perpaucos collustravit. Exeunte tamen hac periodo, *Alcuinus* liberali doctrinae aliquanto

to magis profuit *b*). *Byzantinum Imperium*, benignior litteris sedes, *philosophiae*, *historiae*, *iurisprudentiae* et *artium veterum* non spernendas reliquias efflorescere vidit; tandem et ipsum Clero et *fanaticae pietati* omnem *cultum ingenii* subiecit *c*). *Iudaeorum acerbiora* in terris Christianorum *fata*, non impedivere, quo minus doctrinae apud eos praesertim in Oriente suus honos tribueretur. *Patriarcharum* quidem gubernatio post initia Seculi V. cessavit. Perfectum *Talmud Babylonicum*; clarissimae adhuc eorum *scholae Sorana* et *Pumbedithana*, longoque ordine τῶν גאונים familia surgebat *b*). Denique et *Saraceni*, cum inter primos potentiae suae progressus, bellica tantum virtute et enthusiasmo religioso celebrarentur, vergente hac periodo, a *Principibus* suis graecarum litterarum amore imbuti sunt *c*).

a) *Guil. Badaeus* de transitu Hellenismi ad Christianismum. De *Iamblicho*, *Libanio*, *Iuliano*, *Themistio*, *Ammiano Marcellino*, *Eutropio*, *Ausonio*, *Claudiano*, aliis.

b) *Io. Launoius*, de scholis celebribus a Car. M et postea restauratis. Idem de varia Aristotelis fortuna in Acad. Paris. *Herm. Conring.* Antiquitates Academ. *Fabricii* Biblioth. Lat. med. et inf. aetatis. *Brucker.* Hist. Crit. Philosoph. T. III. p. 556 sq.

c) *Fabricii* Biblioth. Graec. Vol. VIII sq. De *Proclo*, *Stobaeo*, *Triboniano*, *Procopio* aliis.

d) Cod. Theod. L XVI. t. 8. de Iudaeis. Coelic. et Samarit. Cod. Iust. L. I. t. 9. de Iudaeis et Coelicol. *Buxtorf.* Tiberiad. c. 6. *Hotting.* Hist. Eccl. N. T. P. I. p. 191 sq. 262 sq. 331 sq. *Iac. Basnagii* Hist Iudaeorum gall. scripta. *I. C. Wolfii* Bibliotheca Hebraea. Vtrum hac aetate puncta vocalia acceperit lingua hebraea?

e) *I. I. Reiske* de Principibus Muhammedanis, qui aut ab eruditione, aut ab amore litterarum et litteratorum claruerunt, Lips. 1747. 4.

men *in multis iniquius* et *crudelius* cum iis egit *b*), *a litteris graecis* tradendis et discendis *eos arcuit c*), ipsisque *Iudaeis* ad oppugnandam religionem christianam usus esse videtur *f*). At ille maturius *fato intereeptus* est a. CCCLXIII *g*). Tum vero diligentius multo laboratum est ab *Imperatoribus christianis* in evertenda idololatria, ritusque christiani auctoritate restauranda. Maxime autem *Theodosius M.* post victum a. CCCXCIV. *Eugenium* aemulum, felix in eo fuit; quamvis et antea iam gravissimas in idolorum cultores poenas statuerit *h*). Pari animo filii eius *Arcadius* et *Honorius*, *leges* adversus eos tulerunt *i*): ut fatendum sit, non lenius, quam a *Iuliano* habiti sunt Christiani, imo *durius* etiam ab his *tractatos esse gentiles* et nequaquam convenienter humanissimo religionis christianae ingenio. Ceterum gentiles paulo ante annum CCCLXVIII. *paganorum* nomen adepti sunt *k*).

a) Cod Theod. L. XVI. t. 10. de Paganis, Sacrificiis et Templis. l. 2. 4. 5 6. Cod. Iust. L. I. t. 11 l. 1.

b) *Ammian. Marcell.* Hist. a Libro XVI. inprimis L. XXII. c 5. *Socrat.* H. E. L. III. c 1. *Sozom.* H. Eccl. L. V. c. 3. Legendi etiam libelli quidam *Iuliani*, quibus theologiam fabularem interpretatur, et epistola ad *Arsacium*, Galatiae Pontificem, in Operibus eius ab *Ezech Spanhemio* editis. Lipsiae 1696. fol. V. *Aug. Neandri* libellum de Iuliano Apostata.

c) Fragmenta operis huius non pauca *Cyrillus Alexandr.* servavit LL. X. adversus *Iulianum*, qui etiam huius Opp. additi sunt. De *sannis* et *conviciis Iuliani* in Christianos, abhorrentiqu animo a *persecutionis* nomine.

d) *Socrates* Hist. Eccl. L. III. c. 12. 13. *Sozom.* H. E. L. V. c. 3 sq.

e) *Iuliani* Epist. XLII. p. 422 sq. *Ammian.* Hist. L. XXII. c 10. L. XXV. c. 4. *Socrat.* H. E. L. III. c. 12. 16.

f) *Iulian.* ep. 25 *Ammian.* Hist. L. XXIII. c. 1. *Socr.* L. III. c. 20 *Sozom.* H. E. L. V. c. 22

g) *Ammian* Hist. L. XXV. c. 3 sq. *Libanius* Orat in Iulianum. *Zosim.* Hist. L. III. c. 28 sq. *Socrat.* H. E. L. III. c. 21. *Sozom.* Hist. Eccl. L. VI. c. 1 sq. *Theodo-*

retus H. Eccl. L. III. c. 25. *Bletterii* vita Iuliani, e francico theotisca facta. De virtutibus *Iuliani*, et fabulis de *morte* eius.

h) Cod. Theod. XVI. t. 10 l. 7—12. *Socrat.* H. Eccl. L. V. c. 16. *Symmach.* L. X. ep. 54. et adversus eum *Ambrosii* et *Prudentii* libelli.

i) Cod. Th. l. c leg. 13—20. Adde *Theodos. Iunioris* leges in paganos ib. l. 21 sq.

k) C. Th. L. XVI. t. 2. de Episc. cet. l. 18. Vid. quae *Gothofredus* de caussa nominis disputat ad tit. 10. p. 275. Cod. Theod. ed. Ritter. T. VI. P. I. *Christianorum* in *Persia*, aetate *Constantini*, aut potius successorum, *vexationem* narrat *Sozom.* Hist. Eccl. L. II. c. 9 sq. conf. *Euseb.* de vita Const. L. IV. c. 9 sq.

§. V.

Barbarae gentes fidem Christi recipiunt Seculo IV et V.

Conclamata videbatur fortuna religionis ethnicae in Imperio Romano, cum *exeunte seculo quarto* et *sub initia quinti*, multa *barbararum* ac fere *Germanicarum gentium* millia non modo in illud irruerent; sed stabiles etiam, in occidentalibus maxime provinciis, sedes et regna constituerent. Quae quidem primo impetu *florentes ecclesias christianas* innumeras aut *vastarunt* aut *destruxerunt*. Inprimis in *Britannia* ab *Anglosaxonibus* professio religionis christ. publica penitus fere sublata est *a*). *Pagani* autem, qui superabant *inter Romanos*, omnem calamitatem reipublicae, *irae Deorum* in sacra christiana tribuerunt *b*). *Haec* tamen pleraeque illae *gentes cito amplexae* sunt. *Caussae* inde repetendae, quod eaedem institutis et moribus victorum a se populorum mature sese accommodarunt; porro cum rudes doctrinae essent, institutionem facilius admiserunt; denique quod ingens earum numerus a pluribus inde seculis, utrique militiae apud Romanos admotus erat: unde permulti ex illis vel notitia christ.

christ. religionis imbuti fuerant, vel eamdem susceperant, etiam extra Imperium Rom. colentes. Ita *Gothi*, quorum sedes medio Seculo IV. ab Istro ad Asiae usque limites pertingebant, christianae fidei aditum ad se patefecerant: claruitque inter eos ad annum CCCLIX. *Vlphilas* episcopus, qui et litteris gentem donavit, et *libros christianorum divinos* prope omnes *gothice vertit* c). Mox utrumque ingentis populi agmen, *Visigothi* et *Ostrogothi*, Seculo V. eademque aetate *Burgundiones* d), *Vandali* et *Suevi*, sacris christianis, sed iisdem *Ariano* dogmate mutatis, se addixerunt e). Soli inter tot Germanicas gentes *Franci*, auctoritate *Chlodovaei* Regis, qui a. CCCCXCVI. baptizari se passus est, *ecclesiae catholicae* accesserunt f). Ex reliquis populis ethnicis, *quarto* quidem seculo, *Indi*, qui nunc *Abyssinii* dicuntur g), *Iberi* item, hodiernae *Georgiae* Asiaticae incolae h), et *Armenii*, hi quidem *Gregorio Illuminatore* duce, ad *Christi* fidem perducti sunt i). Idem *Hibernis Patricius* maxime, mortuus a. CCCCXCIII. persuasit k).

a) *Bedae* Hist. Eccl. gentis Angl. L. I. c. 15 sq. *Iac. Vsserius* Antiq. Eccles. Britann. c. 12. Renovata est etiam Seculo V. *Christianorum in Persia strages*, quos tamen zelus imprudentior fefellerat. *Theodoret.* Hist. Eccl. L. V. c. 39.

b) Eos confutavit *Augustinus* LL. de civitate Dei, et *Orosius* LL. Historiar. adversus paganos.

c) *Socrat.* H. E. L. I. c. 18, L. IV. c. 33. *Sozom.* H. Eccl. L. IV. c. 37. *Philostorg.* H. E. L. II. c. 5. *Io. Iac. Mascovii* Historia Germanorum, germanice scripta, T. I. p. 317—324. T. II. in Annott. p. 49 sq. qui etiam accuratissime omnium res Germanicarum gentum huius aevi illustravit. De reliquiis versionis *Vlphilanae* in Codicibus, *Argenteo* et *Carolino*.

d) *Socrat.* Hist. Eccl. L. VII. c. 30.

e) Caussae, propter quas *Arianismus* his gentibus placuit, praeter eam, quam *Socrat.* L. IV. c. 33. aperit, aliae. Inde natae *vexationes Catholicorum* in Africa per *Gensericum* et *Hunericum*, Reges Vandalos, exeunte Sec. V.

V. *Vict. Vitens.* de persec. Vandal. L. I. c. 12 sq. L. II. c. 3. 7. 13. L. V. c. 6. *Ruinarti* Hist. persecutionis Vandalicae. Miraculum *elinguium loquentium.* Cod. L. I. t. 27. l. 1.

f) *Gregor. Turon.* Hist. Franc. L. II. c. 29 sq. et alii Francicae historiae scriptores apud *Quercetanum.* T. I. De fabula *ampullae Rhemensis*, primum memorata Seculo IX. ab *Hincmaro Rhemensi*, in vita Remigii, legendus *Io. Iac. Chifletius.* De titulo *Regis Christianissimi.*

g) *Rufin.* H. E. L. I. c. 9. *Socrat.* Hist. Eccl. L. I. c. 19. *Sozom* H. E. L. II. c 24.

h) *Rufin.* Hist. Eccl. L. II. c. 33. *Socr.* l. c. l. 20. *Sozom.* II, 7.

i) *Sozom.* Hist. Eccles. L. II. c. 8. Exstat etiam de his narratio apud *Combefis.* Auctar. Biblioth. PP. T. II. p. 287 sq.

k) Vide Opuscula viri, Lond. a. 1656. 8. edita, et *Vsserium* Antiq. Eccl. Britann. c. 16. 17. Conf. *Pagii* Critic. ad a. 431. n. 51. 52.

§. VI.

Aliae item Seculis VI. VII. et VIII.

Has gentes ecclesiam christianam ingressas secuti sunt *Seculo* VI. ex *Germanicis* quidem, *Langobardi*, idque antequam Italiam obtinerent, et ipsi aliquamdiu *Ariani* [a]); postea *Anglosaxonum* pars, quae *Cantium* habitabat, duce *Augustino* [b]); ex aliis vero, *Heruli*, quibus sedes ultra Istrum erat [c]), *Abasgi*, versus Caucasum incolentes [d]), et plures atque obscuriores *Asiaticae*. *Septimo Seculo* non modo *reliqua Heptarchia Anglosaxonica* christianae doctrinae obtemperavit [e]); sed etiam plures ex hac ipsa gente et vicina *Scotica* ac *Hibernica*, in continentes provincias Germanicas transgressi, in his illustriores ceteris, *Columbanus*, *Gallus*, *Kilianus* et *Willebrordus*, non infeliciter apud *Frisios*, *Francos Orientales*, *Suevos* seu *Alemannos*, et *Baioarios*, Euangelii semina sparserunt *f*). Hoc vero eadem aetate ad ultimos *Se-*

res

mum quidem, opponentibus se ei urbis patriae *Meccensis* incolis, *Iatsrebam*, quae deinde *Medina* vocata est, aufugit a. DCXXII: quae *fuga* illius, Arabibus *Hedschra*, (unde Europaeorum *Hegira*,) initium et *nomen aerae Muhammedanae* tribuit. Sed annis septem post, *occupata* per vim *Mecca*, ac sensim omni Arabia sibi subiecta, perfecit etiam *ingenio*, *eloquentia*, *fanatico impetu*, *fraudibus* et *armis* victricibus, ut moriens a. C. DCXXXII. religionem a se propositam dominari per universam patriam cerneret *).

*) *Georg Elmacini* Hist. Saracenica. Lugd. Bat. 1625. fol. *Ism. Abulfeda* de vita et reb. gest. Muhammedis, Oxon. 1723. fol. *Eiusd.* Annales Moslemici, latine, Lips. 1754. 4. plenius, et arabice, Hafniae inde ab a. 1789. 4. *Io. Damascenus* de haeresibus. *Nicephorus*, *Theophanes*, aliique Scriptt. Byzantini. *Io. Henr. Hottingeri.* Hist. Orientalis, Tiguri 1651. 4. *Io. Gagnerii* vita Muhammedis, gallice edita Amstel. 1732. 2. Vol. 8. *Salius* Prolegg. ad versionem Anglic. Korani: *Christ. Kortholt* de Enthusiasmo Muhammedis. *Guthrii* Historia orbis catholica, germanice reddita, T. VI. P. I. *Io. Dav. Michaelis* Biblioth. orient. et exeget. (patrio sermone scripta). Parte VIII. De Muhammede legendus imprimis est *Gibbon* in Hist. Rom.

§. VIII.

Religionis ab eo traditae praecipua capita.

Eius autem *summa* haec fuit, *unum* esse *summum* et *verum Deum*, ab omnibus mortalibus colendum, qui *legatis* ad homines pluribus, in his *Christo* quoque, sed *principe omnium*, *Muhammede* usus sit; *eum curare res humanas* diligenter; sed easdem etiam *fati immutabilis* legibus constrinxisse; eumdem et *ultra vitam* huius *terminos praemia* cultoribus suis, *poenas* sceleratis parare; ad hunc *frequentibus precibus* confugiendum esse; ei *vitam probam* et iustam, liberalitatem maxime in pauperes, et alia pietatis exercitia, placere.
Haec

Haec et reliqua *Muhammedis* decreta qui reciperent, (nam etiam *ieiunia* et *peregrinationem Meccanam* suis commendabat, *vini usum negabat*, concedebat *polygamiam*,) *Moslemin*, hoc est *credentes* seu *fideles*, dicti sunt patrio vocabulo, iique *circumcisione* his sacris initiandi. Quae autem *divina* quod aiebat, *auctoritate* munitus, *et voce* edoctus tradiderat crebris *orationibus* habitis, ea post obitum viri, amici eius undique collecta libro complexi sunt, qui *Korani* nomen accepit. Neque tamen eo instituto caveri *dissidia super sententiis* quibusdam plurima inter Muhammedanos potuere: unde *Sonnitarum* et *Schiitarum*, praeter alias, *principes sectae* apud eos ortae sunt, hodieque superstites *).

*) Koranum optime edidit *Lud. Maraccius*: inter versiones praestantissima *Georg Salii* anglic. minimeque spernenda germanica *Boysenii* quam nuper edidit *Wahl*. Sed legendus inprimis post *Hottingerum* l. c. et *Pocokium*, Specim. Hist. Arabum, *Adrian. Relandi* liber de Religione Mohammedica, LL. ll. Vltraiect. 1705. 8. rec. auctior 1717. De *Sonna* s. *Sunna*, *Mischnah* veluti *Muhammedanorum*. De doctrina Muhammedis adeundi sunt etiam *Kleuker* et *Cludius*.

§. IX.

Progressus huius religionis, eorumque caussae.

Hos natales habuit *Islamitica* fides, in eo certe utilis generi humano, quod *millia hominum multa a polytheismo ad unius Dei cultum* revocavit. Ea vero cum ex antiquis *Arabum*, quos *indoctos* fere nanciscebatur auctor, *moribus* non pauca servaret, alia a *Christianis* peteret, alia a *Iudaeis*; *brevissimi* autem *argumenti* esset, et pro *captu hominum* tota *efformata*, *nec difficilis* admodum *observatu*; *fabulis* lepidis et *arte* varia au-

auctoris exornata, neque *Christianos* proximos *foede* inter se *de religione pugnantes*, valde formidandos hostes experiretur; denique et *armorum terrore* nixa procurreret: factum est, ut vel *sine legibus* et *poenis* a), innumeros adseclas hoc aevo acciperet. Iam enim *Muhammedani Arabes*, quos et *Saracenos* adpellat historia b), ducibus iis, qui potestatis sacrae et civilis, quam *Muhammedes* tenuerat, successores delecti sunt, seu *Chalifis*, quorum primi, *Abubeker*, ad a. usque DCXXXIV et *Omar*, mort. a. DCXLIV. fuere, *Syriam*, *Palaestinam*, *Persicum regnum*, *Aegyptum* et proxima *Africae*, Seculo autem VIII. etiam *Europae* quaedam occupantes, per omnes has religiones sacra sua, quorum incredibili studio agebantur, stabiliverunt c). Quod *christianae religionis* libero et publico cultui *irreparabilem noxam* attulit.

a) De *Muhammedis* et successorum in *Christianos* animo.

b) Origenes nominis huius, quas *Steph. Byzantinus* tradidit, probat *Pocokius* in Spec. Hist. Arab. p. 35 et *Herbelotus* in Biblioth. Orientali, libro francogallico. p. 377. ed. Paris.

c) Praeter *Elmacinum*, *Abulfedae* Ann. Mosl. et alios supra laudatos, conferendi hoc loco *Eutychii* Annales a *Pocokio* editi, et *Abulpharaii* Hist. Dynastiarum; e Graecis *Theophanes*, aliique chronographi; e recentioribus, *Guthrius*, l. c. T. VI. P. I. II. et cautius, *Sim. Okleii* Historia Saracenorum, ex anglica dialecto in germanicam translata.

CAPVT II.

Historia Doctorum Religionis et Ecclesiae Christianae.

§. I.

Doctores Christiani iuribus et potestate aucti.

Sed inter has *religionis christianae* vicissitudines, *qui eam publice docebant*, perpetuam in eo ope-

operam collocarunt, iam prudenter et feliciter, iam minus prospere atque imprudentiores, ut illa dignitatis et honoris maiora in dies incrementa caperet. Quod cum protinus ab aetate *Constantini* accideret: ipsi simul *ingentem auctoritatis et fortunarum accessionem* adepti *non* iam *illis similes* perstitere, *in quorum locum* successerant. Primum *Clericis* ab Imperatoribus christianis *immunitas* concessa, hoc est, ut non modo *a muneribus publicis* gerendis *liberi* essent *a*); sed etiam *a plerisque tributis* et exactionibus *b*). Tum *lautiores reditus* illis assignati, et *amplissimarum donationum Ecclesiis factarum* ad Episcopos dispensatio, imo arbitrium fere pervenit *c*): ut adeo, *crescentibus in immensum* hoc aevo ecclesiasticis *opibus*, Principes ac respublica non parum damni acciperent *d*). Ab honoribus autem et *reverentia* Clericis habita, sensim res ad *iurisdictionem* quamdam *ecclesiasticam* devenit; cum et *exemti* essent plerisque in caussis a *iudiciis civilibus e*), et mox a *iure arbitrii*, quod in *Episcopos* collatum erat, ad ipsa *iudicia* agitanda ascenderent *f*). Neque tantum *nomina* et *dignitates novae* inter Clericos ortae; sed omnino *gubernatio ecclesiastica* ad *civilis* illius, quam *Constantinus* constituerat *g*), imaginem efformata. Hinc *Patriarchas* a Seculo V. Ecclesia *quatuor* habuit: *Romanum*, *Constantinopolitanum*, *Alexandrinum* et *Antiochenum h*): quibus honoris caussa cito adiunctus est *Hierosolymitanus i*); et ante ac post eorum tempora, vario nominum sensu, *Primates*, *Exarchas*, *Archiepiscopos*, et his similes usque ad *Archidiaconos k*).

a) *Euseb.* Hist. Eccl. L. X c. 7. Cod. Theod. L. XVI. 1. 2. de Episc. Eccl. et Cleric. l. 1. 2. 7. Eae leges postea iustis finibus circumscriptae. L. c. leg. 3. 6. confirmatae autem post *Constantinum*, et quandoque mutatae. Ibid. l. 8 — 11 21. coll. L. XII. t. 1. de Decurion. l. 49. 99. 121. 163. et Cod. Iust. L. I. t. 3. de. Episc. l. 2. 6. 12.

b) Cod. Theod. L. XIII. t. 1. de lustr. collat. l. 1. 11. L. XVI

XVI. t. 2. l. 10. 14. 36. 40. Nonnunquam tamen et haec mutata. Cod. Iust. L. I. t. 2. de sacrosanct. eccles. l. 11. Et excepta *canonica inlatio indictio*. C. Th. L. XVI. t. c. l. 15. C. 15. C. Iust. I. t. 3. l. 3.

c) C. Th. L. XVI. t. 2. l. 4. et C. Iust. L. I. t. 2. l. 1 *Euseb.* H. E. L. X. c. 6. *Soz.* H. E. L. V. c. 5. *Theodoret.* H. E. L. I. c. 11. Repressa quidem mature *avaritia ecclesiastica*. v. LL. in C. Th. l. c. 20. 27. sed nullo fructu duraturo. conf. *Hieron a Costa,* (h. e. *Rich. Simonis*) liber gallicus: Historia originis et progressus redituum ecclesiasticorum, 1684. 8.

d) Vide querelas *Chilperici* R. Franc. Sec. VI. apud *Greg. Turon.* Hist. Francor. L. VI. c. 46. Male audiit *Carolus Martellus*, quod ecclesiasticas pecunias in usus reipublicae converterit.

e) C. Th. L. XVI. t. 2. l. 12. 23. inprimis *Iustinianus* Novell. 123. c. 8.

f) *Ius arbitrii* omnibus olim inter se Christianis commune. 1 *Corinth.* VI. 1 — 8. Postea *solis Episcopis* proprium. *Sozom.* H. Eccl. L. I. c. 9. *Augustin.* de opere monach. c. 29 cet. Mox Seculo V. potentiores Episcopi dominationem invasere, magistratui invisam. *Socrat.* T. E. L. VII. c. 13.

g) v. *Iac. Gothofredi.* Notitiam dignitatum, T. VI. P. II. Cod. Theod. et maxime *Frid. Spanhem.* Geogr. S. p. 75 sq. T. I. Opp.

h) *Socrat.* Hist. Eccl. L. V. c. 8. *Sozom.* H. E. L. VII. c. 9. *Io. Gail. Ianus* de origine Patriarcharum Christianorum.

i) Concil. Chalcedon. Act. VII.

k) Quo pertinent, quae collegerunt *Lud. Thomassinus* in Vetere et nova Ecclesiae discipl. circa Beneficia et Beneficiarios, P. I. *Binghamus* Origg. Eccles. Vol. I. p. 206. sq. *Pertschius* de Archidiaconis, libello vernaculo, alii.

§. II.

Principum Christianorum iura in rebus ecclesiasticis. Concilia Oecumenica.

Etsi autem huic crescenti Clericorum, inprimis Episcoporum, auctoritati *Principes Christiani* fa-

faverent, penderentque in multis ab eorum consiliis; *plerique* tamen illorum *supremam in sacris ecclesiasticis* rebus *potestatem* fortiter sibi vindicarunt. *Imperatores* quidem a *Constantino*, qui se τῶν ἐκτὸς τῆς Ἐκκλησίας ἐπισκοπὸν appellavit *a*), leges de religione, ritibus sacris, clericis, haereticis, et similibus, ferendo; convocando Clericos, cet. hoc ipsum omni isto aevo egerunt *b*). Neque dissimili illis animo *Germanicarum gentium Reges* fuere. Ita *Theodoricus*, Ostrogothorum rex, in caussa *Symmachi*, Episc. Rom. versatus est sub initia *Seculi sexti*, indicta *Synodo Palmari* *c*). *Francicorum* Regum *Capitularia* non pauca idem docent, et maxime *acta Caroli Martelli*, *Pipini* et *Caroli M* *d*). Verum nec *superstitio* audacius grassans, nec *felicitas temporum* a Seculo inde V. et irruens *ingeniorum barbaries*, passae sunt, ut impotenti *dominandi libidini plurimorum episcoporum* aliorumque doctorum christianorum, quantum satis esset, resisteretur *e*). Ipsa illa *Concilia*, quae auctoritate Principum habebantur, inprimis *Oecumenica* hoc tempore orta, ad quae vocabantur Episcopi aliique legati omnium ecclesiarum in Imperio Romano, validum his *praesidium* obtulere *proferendae potestatis* suae, eorumque *opprimendorum, qui contraria sentirent* *f*).

a) *Euseb.* de Vita Const. L. IV. c. 24.

b) *Idem* op. laud. et reliqui Scriptt. H. Eccl. ad Sec. VI. v. c. *Socrat.* H. E. L. V. Prooemio Scriptt. item Byzantini, Codex uterque, et Novellae Iustiniani.

c) *Harduin.* Act. Concil. T. II. p. 957. *Theodor. Lect.* Excerpt. H. Eccl. L. II. p. 519. ed. Aug. Taurin. *Anastas.* in Symmacho. *Pagii* Critic. ad a. 499 sq.

d) Vide *Capitull.* RR. Francor. apud *Baluzium*, et in *Georgischii* Corpore Iuris Germanici antiqui; *Acta* item *Synodorum* Sec. VIII. in Franc. regno habitarum, v. c. apud *Harduin.* l. c. T. III. p. 1919. 1931. T. IV. p. 865 sq. alia.

e) *German. gentium opinio* vetus de sacerdotum sancta

H po-

testate, christianis doctoribus utilissima. Horum *inter Ordines regnorum* locus.

f) *Gregor. Nazianz* epist. 55. *Edm. Richerii* Historia Conciliorum generalium, et *Fuchsii* Bibliotheca Consilior. germanice scripta.

§. III.

Crescens Romanorum Episcoporum auctoritas.

Omnium autem maxime *Romani Episcopi conversionis Orbis* civiles et ecclesiasticas callide in rem suam vertere docti, *ambitione*, *honoribus* et *potentia* in dies maiore inter reliquos Episcopos eminuerunt. Nam sede Imperii Romani a. CCCXXX sq. *Byzantium*, (quae postea *Constantinopolis*,) translata *a*), absentibus Imperatoribus, celeriter *incrementa auctoritatis* suae ceperunt. Cum *Concilii Nicaeni I.* tempore nonnisi iure eodem, quo ceteri maiores *Metropolitae*, *Ecclesias Suburbicarias* regerent *b*); quod non mutabant *Sardicensium Patrum* canones, quibus a CCCXLIV. appellationes ad Episcopos Rom. confirmabant *c*); tamen *paritatem dignitatis se inter et Constantinopolitanum Episcopum* constitutam decreto Concilii Constantinop. a. CCCLXXXI. mox etiam Chalcedonensis, a. CCCCLI renovatam indigne tulerunt *d*). Redeuntibus autem Romam Imperatoribus Occidentis, ab exitu inde Seculi IV. sed barbarorum armis cito intra Italiae fines conclusis, Episcopi Romani hoc *turbido rerum* statu ad *amplificandi commoda sua* usi sunt, ut *Leo I.* seu *Magnus*, *a Valentiniano III.* edictum impetravit a. CCCCXLV. sed parum valiturum, qui ei *omnes Ecclesias Occidentis* subiiceret *e*). Iam ante eius aetatem *Innocentius I.* ab a. CCCCII. ad a. CCCCXVII. dominandi libidine insignis fuerat *f*). Qui hunc secutus est *Zosimus*, a. CCCCXVIII. per fraudem

Ap-

Appellationum iura ad Episcopos Rom. frustra vindicavit *g*). Eodem certe tempore hi Episcopi *Vicarios* suos in provinciis constituerunt, eosque *Pallio* donarunt *h*). Etsi vero *Pelagius II.* et *Gregorius M.* in *Ioanne Ieiunatore*, et *Cyriaco*, Patriarchis Constantinopolit. quam vehementissime reprehenderent exeunte Seculo VI. titulum *episcopi oecumenici*, velut impiam principatus in Ecclesia adfectationem *i*); tamen brevi post *Bonifacius III.* Rom. Patriarcha, a. fere DCVII. ecclesiam suam *caput omnium Ecclesiarum* a *Phoca* Imperat. dici passus est *k*).

a) *Pagii* Critica ad 324. n. 19.

b) Canon Concilii Nicaeni VI. et ad eum *Rufinus* Hist. Eccl. L. I. c. 6. e recentioribus *Frid. Spanhemius*, alii. Post *Gothofredi*, *Sirmondi* et *Salmasii* libros de *Ecclesiis suburbicariis*, illustravit earum fines *Christ. Kortholtus* libello singulari.

c) In *Beveregii* Synodico, T. I. p. 482. et apud *Harduin.* in Act. Concil. T. I. p. 638 sq.

d) v. Concil. Chalcedon. Action. XVI.

e) Novell. Leg. t. 24. de Episcopor. ordinatione, T. VI. P. II. Cod. Theodos. p. 67.

f) v. Innoc. I. Epistt. in *Harduini* Act. Conc. T. I. p. 995 sq. 1015 sq. 1025 sq.

g) Acta Concil. Carthag. a. 419. in *Harduini* Act. Concil. Tom. I. p. 1241 sq. *Cutantii* Epist. Rom. Pontiff. p. 1109. *Richer.* Hist. Concil. Gener. T. I. p. 91. ed. Col. *Plinius* de antiqua Eccl. disciplina. Dissert. II. p. 128 sq.

h) Primus horum Vicariorum incertus; conf. *Harduin.* Acta Conc. T. I. p. 1111 sq. 1120. 1128. *Cutant* l. c. p. 1019. 1029. 1034. *Pagii* Crit. ad. a. 418. n. 75. ad. a. 421. n. 7. 8. *Io. Georg. Pertsch.* de Pallio Archiepisc.

i) *Gregor.* M. L. IV. Ep. 32. 34. 36. 38. 39. L. VI. Ep. 4. 24. 30 sq.

k) *Anastas.* in *Bonifacii.* III. *Paul. Diac.* de reb. gestis Langob. L. IV. c. 37.

§. IV.

Initia dominationis eorum civilis Seculo VIII.

Lento tamen *gradu* vel sic ad *Primatum in Ecclesia*, quem consectabantur, pergebant Episcopi Romani, qui hoc tempore Imperatoribus Constantinopolitanis parebant, certe non impune obsequium negabant, ut *Martinus I.* in exilio mortuus a. C. DCLV *a*). Sed cum in perpetua honorum accessione, quos religionis et auctoritatis *Petri* Apostol. praetextu arripiebant *b*), omnes occasiones sollicite captarent, per quas potentiae suae novum robur addere liceret: faventem inprimis post exordium Seculi VIII. in longa *lite de colendis imaginibus* invenerunt. Nam primum *Constantinus*, deinde multo magis successores, *Gregorius II.* et *Gregorius III.* ab a. DCCXXVI. Imperatores Constantinopolitt. quod illum cultum sublatum vellent, multis *contumeliis* adfecere; *Romam* autem cum *parte Italiae* iis subiecta, *ad defectionem* re ipsa, nisi verbis expressis, *sollicitarunt*; unde ab eo tempore Imperatorum illorum potestas in his terris valde imminuta est, omnis vero evanuit exeunte Sec. VIII *c*). Tum Episcopi Rom. ad *Duces Francorum* conversi, ut eorum ope tuti ab impetu *Langobardorum* essent *d*), postquam *Pipini* consilia in *occupando regno Francico* adiuverant *e*), ab eo non modo contra Langobardos *defensi*, sed etiam *Exarchatu Ravennatensi* et *Pentapoli* donati sunt, a. DCCLV. *f*). Hanc donationem, quae prima *Episcopos Christianos* in *provinciarum dominos* mutavit, *Pipini* filius, *Carolus M.* confirmavit et auxit *g*). Mansere tamen etiam posthaec *Episcopi Rom. in fide et clientela Regum Francicorum* *h*).

a) *Franc. Pagii* Breviarium, Pontiff. Rom. gesta complectens, T. I. p. 227 sq. ed. Lucens.

b) Prima

b) Prima deosculationis pedum Pontiff. R. mentio ad a. 711. *Anastasius* in *Constantino*.

c) *Anastas.* in Constant. Gregor. II. et III. *Theophan.* Chronogr. p. 338. 343. ed. Reg. *Zonar.* Chron. L. XV. c. 4. *Baron* Annal. Eccles. ad a. 730. *Frid. Spanhem.* Hist. Imagin. restituta, p. 79 sq.

d) *Anastas.* in Greg. III. et huius epistt. ad *Car. Martellum.* apud *Baron.* l. c. ad a. 739. Conf. *Mascov.* Hist. Germanor. T. II. p. 233. sqq. Annotationum.

e) Vid. ex pluribus Contin. *Fredegar.* c. 107. et Annal. *Bertin.* ad a. 749. coll. *Ant. Pagio* in Critica ad a. 751. n. 3 sq.

f) *Stephani* III. Epistolae apud *Baron.* in Annal. Eccles. ad a. 755. Contin. *Fredeg.* c. 121. *Annal. Fuldens. Metens. Laurisham.* aliique ad a. 755 sq. *Anastas.* in Steph. III.

g) *Eginh.* vita Caroli M. c. 6. *Anastas.* in Adriano I. Conf. *Muratorium* libro hetrusce et gallice edito, de Iure Imperii Ro. Germ. in ditionem Pontif. Ro.

h) *Eginh* l. c. et c. 33. Annal. *Laurish.* ad a. 796. Conf. *Murator,* l. c. et qui ei praeluxit, *Pe. de Marca* de Conc. Sacerd. et Imp. L. III. c. 11.

§. V.

Monachi et Canonici.

Iam vero praeter Episcopos, *Monachi* inprimis *caput inter* doctores christianos seu *clericos extollebant.* Eorum instituta cum propter *severitatem* et sanctitatem morum, *laboris* patientiam, et *studiorum liberalium* amorem, vix orta vehementer placuissent Christianis, *numerus eorum in infinitum* auctus est brevi tempore. Primi ea exemplo, monitis et regulis vivendi commendarunt *Antonius,* mort. a. CCCLVII. *Hilarion, Pachomius, Athanasius* et *Basilius Magnus.* Ex *Aegypto* in *Palaestinam, Syriam,* et reliquas *Orientis* provincias transiere; ab anno fere CCCXL. etiam in *Occidentem a*). Cum autem *Monachi* primum omnes inter *Laicos* censerentur, sensim a Seculo V. et

et magis VI. *Clericis* adscripti sunt *b*). Sub idem tempus *Benedictus Nursinus*, mortuus ad a. DXLIII. primam in Occidente *Regulam Monasticam* condidit, eaque observanda in coenobio *Montis Casinensis* fundamenta iecit *Ordinis Benedictini* *c*). Mox, quoniam Monachi perfectissimae pietatis specimina habebantur, Episcopi multi, maxime Romanus, fideli eorum opera utebantur *d*), ipsi etiam saepius legebantur inter Episcopos: *omnem fere religionem et ecclesiam in potestate* habere coeperunt. Pereunte *litterarum* honore, *recepisse se* istae in *sola* prope *Monasteria* videbantur *e*): hinc tanto maior Monarchorum *in aulis* Principum auctoritas. Referebant vitae huius formam quodammodo *Canonici*, hoc est, Episcopi et Presbyteri una, et ad *communem canonem*, viventes: quos primus *Chrodegangus*, Episc. Metensis, ab a. DCCXXIV. accuratiore regula efformavit *f*). Sed *conatus* nonnullorum hoc aevo, qui ad imitandam Monachorum continentiam, *omnibus doctoribus* christianis imponi volebant *coelibatus necessitatem*, successu caruit *g*).

a) *Athanasii* vita Antonii. *Hieron*. Catal. Scriptt. Eccl. c. 88. vita *Paulli Erem*. et *Hilarionis*, in epistolis. *Sulpic. Sever*. de vita S. Martini. *Socr*. H. Eccl. L. I. c. 21. L. IV. c. 23. 25. *Sozom*. H. Eccl. L. I. c. 13. 14. L. III. c. 14. L. VI. c. 27. 32. *Cassianus* de Institutis Coenobiorum. *Theodoreti* Historia religiosa. *Palladii* Hist. Lausiaca, alii. *Alteserrae* liber supra C. III. §. 16 laudatus.

b) *Hieron*. epist. ad Heliodor. p. 151. Epistt Selectar. Venet. 1737. 12 Concil. Chalced. can. 2. 4. *Leo I*. epist. 60. *Alteserra* l. c. L. III. c. 1, p. 133 sq. L. VII. c. 2. p. 363 sq.

c) Regula eius legitur in *Luc. Holstenii* Codice Regular. Monastic. Rom. 1661. 4. Parte II. p. 5 sq. ubi etiam quae traduntur, *Pachomii*, *Basilii*, *Columbani* et aliorum Regg. Monast. exstant, Regulae item, *Monialibus* scriptae. Conf. *Mabillon*. Annal. Ord. S. Benedicti, et Acta SS. Ordin. Benedict.

d) Vide dicta de *Augustino* et *Bonifacio*, et historiam hae-

haeresium huius aetatis. Turbulentum multorum ingenium a Sec. vid. v. c. *Socrat.* H. Eccl. L. VII. cap. 14.

e) Permultum litteris et noxae et utilitatis attulerunt Monachi, primum et ex instituti sui natura, litterarum rudes.

f) *Possid.* vita Augustini. c. 25. *Chrodegangi* Regula in Labbei Concill. T. VII. p. 1444 sq.

g) *Socrat.* H. Eccl. L. I. c. 11. *Georg. Calixtus* de Coniugio Clericorum p. 166 sq. Francof. 1653. 4. adde *Io. God. Koerneri* librum eiusdem argumenti, germanice scriptum.

§. VI.

Doctores et Scriptores clarissimi Ecclesiae Graecae Seculo IV.

In tanto Christianorum doctorum numero, *ingenium, doctrinam* et *eloquentiam* quarto quidem Seculo ad religionis iura et commoda adserenda transtulerunt inprimis qui sequuntur ex *Ecclesia Graeca: Eusebius Pamphili*, Caesareae in Palaestina Episc. vir eruditissimus, qui historiam et religionem christianam egregiis operibus illustravit, in quibus sunt, praeter historica, de quibus supra dictum, Libri *de Praeparatione* et *Demonstratione Euangelica*, Liber *adversus Hieroclem*, de *Theologia* item *Ecclesiastica*, Commentarius in *Psalmos*, alii, mortuus a. CCCXL *a*); — *Athanasius*, Episc. Alexandrinus, doctrinae Catholicorum de S. Trinitate defensor acerrimus, libris *adversus Arianos* et *ad gentes* scriptis, aliisque clarus, obiit a. CCCLXXI. vel CCCLXXII *b*); — *Basilius Magnus*, Neocaesareae in Cappadocia Episcopus ad a. CCCLXXIX. qui ei fatalis fuit, eloquens ac subtilis Scripturae. S. et fidei christianae interpres, quod *Homiliae* eius, Liber de *Spiritu S.*, *Epistolae*, et alia, loquuntur *c*); — *Gregorius Nazianzenus*, Sasimae in Cappadocia, et per breve tempus Constantinopol. Episc. a rerum divinarum insigni scien-

scientia prae ceteris *Theologus* dictus, et ipse eloquentia illustris, quam tradendae et tuendae, sed nonnumquam iusto acrius, religioni christianae accommodavit *Orationibus* et *Carminibus* multis, quae supersunt: obiit a. CCCXCI *d*); — *Ioannes Chrysostomus*, Constantinop. Episc. princeps eloquentia doctorum christianorum, imo omnium scriptorum huius aevi, sacrarum litterarum post *Origenem* nobilissimus, eoque felicior interpres, severitatem disciplinae cum moderatione christiana plerumque bene coniunxit, cuius adhuc *Homiliae*, Liber *de Sacerdotio* atque *Epistolae* celebrantur, exilii et vitae finem nactus a. C. CCCCVII *e*).

a) *Hieron.* Catal. Scriptt. Eccl. c. 81. *Io. Christoph. Ernesti* Diss. II. de Euseb. rec. Viteb. 1703. 4. De Arianismo *Eusebii*, *Cavei* et *Clerici* controversia. Praepar. Euangel. optime edidit *Franc. Vigerus*, Paris. 1628. fol. Demonstrationem, adiunctis LL. de Eccl. Theol. et L. adversus Hierocl. *Rich. Montacutius*, ibid. eod. Quae omnia recusa Colon. (Lips.) 1688. 2. Voll. Comment. in Psalm. *Bern. Montefalc.* in lucem produxit in Collect. nova PP. Graec. T. I.

b) *Hieron.* l. c. c. 87. *Greg. Nazianz* Orat. de laudib. Athan. *Socrat.* H. E. L. I. c. 8. 15. 23. 27. sq. et vitae eius in edit. Opp. *Montefalc.* Paris. 1698. 3 Vol. fol. quam auctiorem repetiit Patavii a. 1777. 3 Vol. fol. *N. A. Iustinianus.* Nec spernenda Commeliniana, 1601. fol.

c) *Hieron.* l. c. c. 116. *Greg. Naz.* et *Nysseni* de eo Oratt. *Socrat.* l. c. L. IV. c. 27. Praestat editio Opp. eius a *Iulian. Garnerio* curata, Paris. 1721 — 1730. 3 Voll. fol.

d) *Greg. Naz.* de vita sua Carmen. De eadem *Io Clericus*, *Hieron.* l. c. c. 117. *Socrat.* l. c. et L. V. c. 6. 7. Collegit Opp. eius *Iac. Billius*, Paris. 1630. 2. Voll. f. Rec. Lips. 1690.

e) *Hieron.* Cat. scriptt. eccl. c. 129. *Socrat.* Hist Eccl. L. VI. c. 2 sq. *Sozom.* H. E. L. VIII. c. 2 sq. *Palladius* de vita Io. Chrys. Paris. 1680. 4. *Menardi* (verius *Gothofr. Hermantii*) vita I. Chr. gall. edita, Lugd. 1683. 2 Voll. 8. et latine scripta Tomo postremo editionis Opp. egregiae, quam debemus *Montefalconio*, Paris. 1718 — 1738. 13 Voll. fol. rec. Venet 1780. 4. Sed non

non prorsus obscuravit *Savilianam* edit. Etonae 1613. 8. Voll. f. Parabilior edit *Front Ducaei* repetita Francof. ad M. 1698. 12 Voll. f. Librum de Sacerdotio *Bengelius* illustravit, Stuttg. 1726. 8. Epistolam ad Caesarium *Basnagius* in *Canis*. Lectt. Antiquis. T. I. p. 226 sq. Homilias IV. *Chr. Fr. Matthaei.* a. 1792. Non pauca *Chrysostomi* I. A. *Cramerus* aliique germanice verterunt. Lips. 1748 sq. Voll. X. 8.

§. VII.

Alii ex eadem Ecclesia Sec. IV et V.

Ad horum laudes proxime accesserunt Seculo eodem: *Didymus*, Alexandrinae scholae praefectus, qui licet caecus a pueris, multiplici doctrina admirationem sui excitavit, mort. post. a. CCCXCII. cuius innumera periere, liber *de Spiritu S.*, aliaque pauca leguntur *a*); — *Apollinarius*, seu *Apollinaris*, Laodiceae in Syria presbyter, et *filius*, Episc. Laodic. ingenii cultum Christianis, invito *Iuliano* Imp. vindicare studentes, scriptis *carminibus* graecis et dialogis, ab a. CCCLXII *b*).; — *Cyrillus Hierosolymitanus* Episc. qui superfuit ad a. CCCLXXXVI. religionis christianae perquam studiosus, idemque Semi-Arianus, auctor *Catechesium* ad *baptizandos* et *baptizatos*; sed suspectae nonnullis fidei *c*); — *Gregorius Nyssenus* in Cappadocia Episc. eloquentia insignis, alienior in quibusdam a superstitione, quam plerique huius aevi, quaedam in *Script. S. dogmatica* et *homilias* reliquit; sed inprimis memoranda eius *Institutio maior relig. christ.*, fato functus post a. CCCXCIV *d*); — *Epiphanius*, Salaminae Cypri Episcopus, vir doctissimus; verum odio haeresium nimis acerbus et contentiosus, partim et credulus clarus *Panario* adversus haeresus LXXX. eiusque *epitome*, *Ancorato* item, et Libro *de Ponderibus ac Mensuris*, obiit a. CCCCIII *e*). Secuti sunt *Seculo quinto*: *Theodoretus*, Cyri in Syria Episc.

pri-

primarius suae aetatis theologus, et doctissimus *Chrysostomi* in sacris litteris interpretandis imitator, cuius *Commentarii* in plures *libros divinos*, Opere *de curandis gentilium morbis*, et *de fabulis haereticis*, itemque *Orationes de Providentia*, et *Historia Christiana* adhuc habentur in pretio: *Historia religiosa* genium Seculi spirat; e vivis excessit post a. CCCCL *f*); — *Cyrillus Alexandrinus* Patriarcha ad annum vitae ultimum, CCCCXLIV. vir doctus, et acerrimus haereticorum, quos putabat, insectator; sed idem vehementioris et ad turbas ciendas proni ingenii, libris tamen *exegeticis* et *polemicis* non male de Ecclesia meritus *g*); — et *Isidorus Pelusiota*, monachus Aegyptius, *Chrysostomi* vestigia in divinorum librorum interpretatione scite premens *Libris V. Epistolarum*, mortuus post a. CCCCXXXI *h*).

a) *Hieron*. Catal scriptt. Eccl. c. 109. *Socrat*. H. Eccl. *L*. IV. 25. *Sozom*. H. Eccl. L. III. c. 15 Liber de Spir. S. ab *Hieronymo* latine versus inter huius Opera editus, et L. contra Manichaeos in *Canis*. Lectt. edit. *Basnag*. T. 1. p. 204 sq.

b) *Hieron*. l. c. c. 104. *Socrat*. Hist. Eccl. L. II. c. 46. L III. c. 16. *Sozomen*. H. Eccl. L. V. c. 18. Patris *Metaphrastis Psalmorum* edita est Heidelb. 1596. 8.

c) *Hieron*. l. c. c. 112. *Socrat*. l. c. L. II. c. 38. 40 *Sozom*. l. c. L. IV. c. 25. *Tuttei* Dissert. III. de vita Cyr. in edit. Opp. Paris. 1720. fol. quam praecesserat *Tho. Milles*, Oxon. 1703. fol. et ipsa egregia.

d) *Hieron*. l. c. c. 128. *Socr*. l. c. L. IV. c. 26. L. V. c. 8. Prodiere Opera eius Paris. 1638. 3. Voll. fol. et inprimis Epistolae duae memorabiles, altera cum annott. *Is. Casauboni*, Hanov. 1607. 8. altera illustrata a *Petr. Molinaeo*, ib. eod.

e) *Hieron*. l. c. c. 114. *Socr*. l. c. L. VI. c. 10. 12. *Sozom*. l. c. L. VII. c. 27. L. VIII. c. 14. Editio Opp. a. *Petavio* curata Paris. 1622 f. recusa est Colon. (Lips.) 1682. cum accessionibus.

f) *Euagr*. H. E. L. I. c. 10. L. II. c. 4. 18. Vitam eius diligenter scripserunt *Sirmondus* et *Gannerius* editores Opp. eius, Paris. 1642 — 1685. Voll. 5. fol. et

novis

novis curis *Io. Lud. Schulzius*, qui cum *Io. Aug. Noesselto* eadem Opp. ab a. 1768—1777. Halae, 4 Voll. octonis emendatiora dedit.

g) *Socrat.* Hist. Eccl. L. VII. c. 7. 13 sq. Collecta sunt Opera eius a. *Io. Auberio*, Paris. 1638. 6 Voll. fol.

h) *Euagr.* Hist. Eccl. L. I. c. 15. *Suidas* h. v. *Niceph. Call.* H. Eccl. L. XIV. c. 53. *Fabric.* Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 253 sq. Superstites eius Epistt. omnes habet editio Parisiensis a. 1638. f. De *Ephraemo* Syro, *Synesio*, *Socrate*, *Sozomeno*, et *Philostorgio*.

§. VIII.

Latinae Ecclesiae scriptores praecipui Sec. IV.

Nec inferiores his fuere nonnulli eorum, qui *Latinae Ecclesiae* scriptores principes censentur *Seculo quarto*: *L. Caelius* vel *Caecilius Lactantius Firmianus*, rhetor Nicomediae, denique in aula *Constantini M.* versatus, mort. ad. a. fere CCCXXXV. Romanae elegantiae in docendo aemulus, acutus in defendenda religione; sed minus in explicanda, quod docent LL. VII. *Institutionum divinarum*, libelli de *Ira Dei*, et de *Opificio Dei*, itemque de *Mortibus Persecutorum*, atque hic declamatorius *a*); — *Hilarius Pictaviensis* in Gallia Episc. disertus inprimis catholicae fidei adversus Arianos *Libris XII. de Trinitate* defensor, obiit a. CCCLXVIII *b*); — *Ambrosius*, Episc. Mediolanensis, mort. a. CCCXCVIII. eloquens in paucis sacrorum christianorum doctor, disciplinae ecclesiasticae tenacissimus, et catholicae doctrinae custos diligens; zeli tamen subinde fervidioris, et superstitiosae pietatis patronus, nobilis maxime Libris III. *de officiis*, *et epistola adversus Symmachum c*); — *Eusebius Hieronymus*, Stridonensis, presbyter et monachus, mortuus in secessu Bethlehemitico a. CCCCXX. vir sane doctissimus et dicendo perquam exercitatus; sacrarum littera-

rum

rum inter Latinos interpres optimus; cuius *Commentarii in Script. S.*, *Epistolae*, *Liber de viris illustribus*, et *versio Chronici Eusebiani*, digna sunt, quae cognoscantur; superest etiam *versio latina V. Test.* sed *emendatio versionis* latinae *vulgatae* maxima sui parte periit; intemperantior idem praeco vitae monasticae et coelibatus, superstitionis praeterea variae fautor auctoritatis praecipuae, et iusto mordacior atque iniquior in tractandis controversiis theologicis *d*); — denique *Aurelius Augustinus*, Hipponis Regii in Africa Episc. ad annum vitae extremum, h. e. CCCCXXXX. eruditione quidem *Hieronymo* nequaquam comparandus; sed argutiori et subtiliori quam ille ingenio, quo etiam haud pauca satis recte assecutus est; nec superstitioni tantopere amicus, quaestionum multarum theologicarum non indisertus auctor et disputator: sed minime iustae moderationis in explicanda et defendenda religione, clarus maxime Libris XXII. *de civitate Dei*, LL. IV. *de doctrina Christiana*, LL. XIII. *Confessionum*, LL. II. *Retractationum*, L. de *anima*, et pluribus Libris, *adversus haereticos* scriptis *e*).

a) *Hieron*. Catal. Scriptt. Eccl. c. 80. *Idem* in Chronic. ad a. 318. Epist. 13. ad Paulin et Epist. 84. ad Magnum. *Fabric*. Biblioth. Lat. med. et inf. aetatis. T. IV. p. 226 sq. ed. Petav. Probandae inprimis editt. *Heumanni*, Goetting. 1736. 8. et *Bünemanni*, Lips. 1739. 8. splendida item *Bruni* et *Langleti*, Paris. 1748. 2 Voll. 4.

b) *Hieron*. l. c. c. 100. et vita eius auctore *Petr. Cutantio*, praemissa edit. Opp quam Paris. 1693 f. excudi fecit; auctiorem hanc repetiit *Scip. Maffeus*, Veron. 1730. f.

c) *Hieron*. l. c. c. 124. *Paulini* vita Ambrosii, et alia a Benedictinis scripta, qui Opera eius melius ceteris ediderе, h. e. a *Frischio* et *Nurrio*, Paris. 1686. 1690. 2 Voll. fol.

d) *Hieron*. Catal. Scrippt. Eccl. c. 135. Eiusdem vita per Benedictinos editores, et *Valarsium*, itemque *Martianaeum* gallice edita, Paris. 1706. 4. et recentissima in

in Act. SS. Antverpiens. ad d. XXX. Septembr. Conf. *Clerici* Quaestiones Hieronymianas. *Martianaei* et *Pugeti* editionem Paris. 1693—1706. 5 Voll. fol. superavit *Valarsiana*, Veronae, 1734. 11 Voll. fol. Nec nullius utilitatis *Tribbechoviana*, Francof. 1684. 11 Voll. fol.

e) *Augustin.* LL. Retractt. et Conf. *Possidii* vita Augustini, in editione Benedictinorum, et alia ab his ipsis scripta, et a Iesuitis Antverpiens. a. d. 28. Augusti, in Actis SS. *Cutantii* aliorumque Benedictt. Francic. editio Opp. eius, quae Parisiis Tomis XI. fol. prodiit a. 1679 - 1700. repetita est Antverp. (Amstel.) ab a. 1700. Tomo XII. aucta per *Io. Clericum*, recusa etiam Venet. ab a. 1729. Tironibus prosunt inprimis ed. LL. de Civ. Dei cum comment *Vivis*, et LL. de Doctr. Christ. cum praef. *G. Calixti.*

§. IX.

Alii Scriptores Latini eodem et quinto Seculo.

Florentibus autem hoc tempore apud Christianos melioribus *litteris atque artibus*, *Latini* quoque praeter eloquentiam, *poesin* non infeliciter *sacrorum et ecclesiae* suae *usibus* accommodarunt. Post *Iuvencum*, presbyterum Hispanum, ad a. fere CCCXXX. qui *Historiam Euangelicam* hexametris exprimere conatus est *a*), multo maiorem ea facultate laudem consecutus est. *Q. Aurelius Prudentius Clemens*, et ipse Hispanus, post a. CCCCV. mortuus, ingenio certe et doctrina, minus iudicio valens, cuius LL. *Cathemerinῶν*, περὶ ϛεφάνων, *Hamartigenia*, et in *Symmachum*, V. Cl. et Praef. Vrb. utile dulci non raro miscent *b*); — quem *Coelius Sedulius*, Scotus, medio Seculo V. scripto *Carmine Paschali*, aliisque versibus, propius attigit *c*), et plures ex eo genere secuti sunt *d*). Sed praecipuus eadem aetate Latinae Ecclesiae doctor fuit *Leo I.* seu *Magnus*, Episc. Ro. ab a. CCCCXLV—CCCCLXI pro captu temporum doctus et eloquens, in rebus ex reipublicae utili-

utilitate agendis, oppugnandis haeresibus, et potestate sua augenda satis felix, cuius *Epistolae* et *Sermones* dogmata et historiam Ecclesiae hoc aevo praeclare illustrant *e*). Huic iungendi iisdem de caussis: *Ioannes Cassianus*, monachus et presbyter Massiliensis, m. post a. CCCCXXXII. ob *Collationes Patrum*, et LL. de *Institutis coenobiorum f*); — *Vincentius Lirinensis*, monachus in Gallia, m. ante a CCCCL, *Commonitoria adversus haereses* clarus *g*); et *Salvianus* presbyter Massiliensis, qui post a. CCCCLXXX. obiit, librosque *de gubernatione Dei* et *adversus avaritiam ecclesiasticam*, reliquit *h*).

a) *Hieron*. Catal. Scriptt. Eccl. c. 84. *I. Alb. Fabricii* utraque Biblioth. Latina. Edid. *Erh. Reusch*, Francof. 1710. 8. Legitur etiam cum reliquorum huius generis scriptorum operibus in *Georg. Fabricii* Poetis veteribus ecclesiasticis, Basil. 1564. 4.

b) *Prudent*. Praef. Opp. *Gennad*. (Massil. presbyt. ad a. 493. Catal. Hieronym. continuator,) de vir. illustr. seu de Scriptt. Eccl. c. 13. Vita eius per *Io. Clericum*. Editt. Carminum meliores *Io. Weitzii*, Hanov. 1618. 8. *Nicol. Heinsii*. Amst. 1667. 12. et *Cellarii*. Accessit splendida Parmensis, a. 1788. 2 Voll. 4.

c) *Io. Trithemius* de Scriptt. Eccl. c. 142. *I. A. Fabricius* l. c. *Cellarii* edit. Opp. eius superavit *Gruneria*. Lips. 1747. 8.

d) v. c. *Paulinus*, Ep. *Nolanus*, m. post a. 431. et Sec. VI. *Avitus*, Vienn. Archiep. atque *Arator*, Subdiac. Rom.

e) *Gennad*. de vir. illustr. c. 70. *Trithem*. l. c. c. 158. *Pasch. Quesnelii* Dissertt. de vita et scriptis Leonis, in edit. Opp. ab eo curata, Lugd. 1700. 2 Voll. fol. Novam, eamque diligentiae et doctrinae plurimae, publicarunt Fratres *Ballerinii*, Venet. 1756 sq. 3 Voll. s. conf. *Semleri* vel potius *Griesbachii* Dissert. de Leone M.

f) *Gennad*. l. c. c. 61. *Fabric*. Biblioth. Lat. med. et inf. aet. T. I. p. 355. ed. Patav. Collegit et illustravit libros eius *Alard. Gazaeus*. Atrebat. 1628. fol. rec. edit. Francof. s. Lips. 1722. fol.

g) *Gennad*. l. c. c. 64. *Fabric*. l. c. Vol. VI. p. 300. Edid. *Calixtus* cum *Augustino* de Doctr. Chr. et *Baluzius*, Paris.

ris. 1669. 8. cuius editio Cantabrigiae et Bremae repetita est, nuperrime vero *Klüpfel.*

h) *Gennad.* l. c. c. 67. *Trithem.* l. c. c. 175. *I. A. Ernesti* de *Salviani* adversus avaritiam libello, in Opusc. theolog. p. 549 sq. Edid. cum Vinc. Lir. *Baluzius;* auctior Bremensis editio a. 1688. 4. Adiungi his possunt *Damasus* et *Rufinus*, Sec. IV. *Sulpic. Severus*, *Orosius*, *Sidonius Apollinaris*, *Gelasius* I. Sec. V.

§. X.

Rariores viri eximii in Ecclesia Graeca Sec. VI. VII. VIII.

Sed a quinto Seculo, *pereuntibus* propemodum litteris in *Occidente*, et superstitione ac rixandi libidine *foedatis* apud *Orientales*, utraque Ecclesia, si paucissimos demas, *servilia* tantum *ingenia*, quae a traditis diu sententiis nec auderent deflectere, nec possent, produxit. *Graeci* quidem doctores, strenui plerumque *haeresium* debellatores, compilatores *annalium*, scriptores de actis *martyrum* et *monachorum*, aut declamatores *mystici* et *ascetici* fuere *a*). Soli ex hoc numero eximendi *Seculo sexto: Procopius Gazaeus*, qui post a DXX floruit inter *Sophistas*, *Commentariis in libros divinos* scribendis non inutilem operam impendens *b*); et *Ioannes*, Cappadox, qui Νηςευτὴς seu *Ieiunator* dictus est, Patriarcha Constantinop. mortuus a. DXCV. auctor *libri poenitentialis c*). *Seculum septimum* illustravit *Iohannes Philoponus*, *grammaticus* Alexandrinus, post a. DCXLI. vita functus, *philosophus* subtilis, et *interpres* sacrarum litterarum; qui tamen idem *Tritheismi* auctor perhibetur *d*); *octavum* autem *Io. Damascenus*, monachus coenobii prope Hierosolymam, qui post a. DCCL. e. vita migravit, vir doctus et acutus, neque ille contemnendus systematis theologici conditor Capp. C. quibus *Expositionem accuratam orthodoxae fidei* tradidit: addenda his

eius

eius *Parallela sacra*, aliaque; sed idem *Orationibus de imaginibus*, iconolatriae fautorem se professus est *e*).

a) Ita *Anastasius Sinaita*, et *Leontii*, *Byzantinus* alter, alter *Neapolitanus* in Cypro Episc. Seculo VI. *Sophronius* et *Maximus* Sec. VII. *polemicis* libellis: rursus illo Sec. *Io. Climacus*; hoc autem *Io. Moschus* institutionibus *monasticae* pietatis edendis clariores fuere. Vtiliores aliquanto scriptores *historici*, ut *Procopius*, *Euagrius*, *Theophanes*, alii; et *philosophi*, *Aeneas Gazaeus* ac *Zacharias Mityl.*

b) *Photii* Biblioth. Cod. 106. 206. *Fabric.* Biblioth. Graeca, Vol. VI. p. 258 sq. Comment. eius in *Iesaiam* edit. est Paris. 1580. fol. alia latine prodiere, aut latent.

c) *Isidor. Hispal.* (Hieronym. Catal. continuator) de Scriptt. eccl. c 26. *Fabric.* l. c. Vol. X. p. 164. Librum eius Poenit. *Morinus* Operi suo de Poenitentia subiunxit.

d) *Phot.* Biblioth. Cod. 21—23. 55. 119. cet. *Fabric.* l. c. Vol. IX. p. 358 sq. *Assemani* Bibl. Orient. T. I. p. 328 sq. Commentar in Cap. I. Mosis, *Corderius* edidit Vienn. Austr. 1630. 4. De *Tritheitis*, Leont. *Byz.* de Sectis, Act. V. et *Assemani* l. c. T. II. p. 327 sq.

e) Vita eius auctore *Io. Hierosolym.* in edit. Opp. Damasceni, quam *Mich. le Quien* curavit Paris. 1712. fol. 2 Voll. praefixis Dissertt. Damascenicis, et *Allatii* Prolegg. Conf. *Fabric.* l. c. Vol. VIII. p. 772 sq.

§. XI.

Eadem paucitas eorum in Ecclesia Latina Seculis iisdem.

Apud Latinos autem fugientes litteras, etiam theologicas, sistere conati sunt, *Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius*, *Theodorici* Regis Ostrogothorum in administranda republica adiutor primarius, capite plexus a. DXXV. vel DXXVI. doctrina varia, elegantia ingenii, animo magno, librisque de *Trinitate*, adversus *haereticos*, et inprimis de *Consolatione philosophiae*, nobilitatus *a*); — eique consiliis et eruditione proximus, *Magnus Aure-*

Aurelius Cassiodorus (vel *Cassiodorius*) *Senator*, a summis muneribus, quae in aula Regum Ostrogothorum gesserat, ad monasticam denique vitam transgressus, mortuus post a. DLXIII. cuius praeter *Institutiones ad divinas lectiones*, *Complexiones in LL. Apostolicos*, aliaque theologica, etiam *LL. XXII. Variarum* cognoscendi sunt *b*). Sed eos vix e loginquo assecuti sunt, qui postea theologi dicebantur hoc aevo, in quibus fuere *canonum ecclesiasticorum* compilatores *c*), oppugnatores *haereticorum* *d*), *homiliarum* et *chronicorum* scriptores, iisque similes alii *e*). Doctiores tamen et praestantiores hac turba merito celebrantur *Seculo VI. Dionysius Exiguus*, Scytha, Abbas Romanus, ad a. DXXX. auctor *aerae Christianae*, quam condidit *Cyclo Paschali* annorum XCV. ab. DXXXI. cuius etiam *Codex Canonum Ecclesiast.* et Collectio *Decretorum Roman. Pontiff.* memorandae sunt *f*); — et *Facundus*, *Hermianensis* inter Afros Episc. ad a. DL. qui LL. XII. *pro defensione trium Capitulorum* scriptis, raram eo tempore disserendi de rebus theologicis scientiam prodidit *g*). Eodem Seculo et sequentibus plurimis ingentem auctoritatem tenuit *Gregorius I.* quem etiam *Magnum* dixere, Episc. Romanus, ab a. DXC. ad DCIV. pro captu sane suo et huius aetatis vir pius ac religionis studiosissimus; re ipsa, cum indoctior esset et liberalis doctrinae contemtor, caerimoniarum autem et superstitionis fautor potentissimus, Ecclesiae noxius, cuius ingenium ex *Epistolis* et *Dialogis* eius intelligitur *h*). Praeferendus ei eruditione et utiliore diligentia *Isidorus Hispalensis* Episc. qui a. DCXXXVI. obiit *i*); — et magis etiam *Beda Venerabilis*, monachus Anglus, mortuus a. DCXXXV. qui litterarum honorem in patria sua fundavit, diligentia, lectionis copia, scriptis item pluribus et pietate clarus *k*).

a) *Fabric.* Biblioth. Lat. T. I. p. 642 sq. T. III. p. 202 sq.

ed. vet. *Brucker.* Hist. Crit. Philos. T. III. p. 524 sq. et maximam partem bene scripta Historia Boëthi gall. auctore *Gervasio*, Paris. 1715. 2 Voll. 8. Opp. Basileae edita sunt a. 1570 fol.

b) *Sigeb. Gembl.* de Scriptt. Eccl. c. 40. et *Honor. Augustodun.* (uterque Continuator Catal. Hieron) L. III. c. 21. *Trithem.* de Scriptt. Eccl. c. 212. *Sammarthani* vita Cassiodori, gallice scripta, 1694. 8. Opera collecta dedit *Garetius*, Rothom. 1679. f. rec. Venet. 1721. Complexiones in Epist. Acta Apostt. et Apocal. publicavit *Maffeus*, Flor. 1721. 8.

c) V. c. *Fulgentius Ferrandus* et *Martinus Bracarensis*, Sec. VI.

d) Vt *Fulgentius Ruspensis*, Sec. VI.

e) Vt *Gregorius Turonensis*, Sec. VI. *Ildefonsus Toletanus*, Sec. VII. et eiusdem aetatis *Marculfus*, monachus Francus.

f) *Sigeb. Gembl.* de Scriptt. Eccl. c. 27. *Trithem.* l. c. c. 207. *Io. Guil. Ianus* in Historia Aerae Christ. Viteb. 1715. 4. et in Hist. Cycli Dionysiani, ib. 1718. 4. Collectiones eius *Iustellus* inseruit Biblioth. Iuris Canon. vet. T. I.

g) *Trithem.* de Script. Eccl. 208. *Fabric.* Bibl. Lat. med. et inf. aet. T. II. p. 140 sq. ed. Patav. Librum edidit et illustravit *Sirmondus*, Opp. T. II. p. 297 sq. ed. Ven.

h) *Paulli Diac.* et *Iohannis Diac.* vitae Gregor. M. in *Mabillonii* Actis SS. Ord. Bened. Sec. I. Eiusdem vita a Benedictinis scripta, edentibus Opp. eius, 4 Voll. fol. Paris. 1705.

i) *Braulionis* et *Lucae Tudensis* vita Isidori in Act. SS. Antverp. T. II. Aprilis. *Fabric.* libr. laud. Pleraque eius collecta prostant Paris. 1601. Colon. 1617. f.

k) Vitae eius in edit. Opp. historicorum, Cantabrig. 1722. f. alia in edit. Opp. omnium Colon. 1688. 8 Voll. f. conf. *Fabric.* l. c.

§. XII.

Emendati doctores Occidentis a Carolo M. et Alcuino.

Tandem eo res devenerat, maxime in Ecclesiis Francicae ditionis per Germaniam, Galliam et

et Belgium, a foedo inde ignorantia Seculo VII. ut antistites sacrorum plurimi *ne sermones quidem* amplius de *religione* ad populum haberent, vel habere possent: neque de doctrina eorum quaereretur; sed utrum *legere*, *cantare* et *liturgiae* solennis partes omnes didicissent *a*). *Monachi* libros describebant, aut parum utiles colligebant ex aliis. *Episcopi* leges ferebant in Conciliis, diviso ceterum cum monachis imperio. *Stupori* Clericorum iuncta *superbia* et *degeneres mores*. Tales cum *Carolus M.* Rex Francorum inveniret, corrigere eos instituit, usus consiliis, opera et scriptis *Flacci Alcuini*, Angli, supra captum horum temporum docti et acuti, qui a. DCCCIV. vivere desiit *b*). Itaque *coenobia litteris* restituendis aptata, *scholae* conditae et restauratae, *studium Script. S.* accensum, *superstitioni* quaedam praesidia ademta, *Homiliarium* seu *Lectionarium* ex Patrum Sermonibus excerptum a *Paullo Diacono*: alia et sapienter pleraque, quaedam et inconsulto studio, constituta sunt *c*). Quae omnia eo certe valuerunt, ut aliqua doctrinae liberalis, quae interitura videbatur, species revocaretur.

a) v. *Bonifacii* Epist. et *Regino* de discipl. ecclesiast. L. I. atque ad eum *Baluzius*, p. 540.

b) *Andr. Quercetani* vita Alcuini, Opp. eius addita, quorum partem edidit Lutet. Paris. 1617. f. sed longe plenius collegit *Frobenius*, S. R. I. Princeps et Abbas S. Emmerami, Ratisb. 1777. 2 Voll. f. conf. *Fabricii* Biblioth. Lat. med. et inf. aet. T. I. p. 51 sq. ed. Patav.

c) *Eginhard.* de vita Car. M. *Thegan.* de gestis Ludov. Pii c. 7. *Sigeb. Gembl.* Chronic. ad a. 807. Alii, cum legibus Caroli, atque ante eum, Pipini et Carolomanni. *Lannoius* de scholis a Carolo M. instauratis. *Fabric.* l. c. p. 338 sq.

CAPVT III.

[Histor]ia mutationum, quas Religio Christ. subiit.

§. I.

Religionis praecipua capita conservata.

Sensit has doctrinae, doctorum suorum et christianorum eos sequentium *vices ipsa religio*, quae, amissa sensim pene omni simplicitate et dignitate sua, iam *tota humano ingenio*, et *ludendi* cuidam *levitati attemperari*, horridaque impura et prope terribilis mortalibus esse coepit. Atque hoc accidit, *manente in multis summa fidei christianae*, immo credentibus amicis eius, eam multo quam olim magis nitere. Summo enim studio resistebant sententiis, quibus eam depravari existimabant. *Retenta* et *confirmata diligentius Symbola antiquiora a); condita nova*, illis consentanea, sed ad controversias recens subnatas accommodata, partim in *Synodis*, ut *Nicaeno — Constantinopolitanum b)*, partim a *privatis*, ut *Athanasianum*, quod falso dicitur *c)*; eaque repetita quam saepissime et novis sanctionibus synodorum roborata *d)*, et a singulis doctoribus illustrata ac defensa *e)*. Multa etiam praeclara tradita a *doctoribus* Seculi IV et V. de *sacris litteris unice sequendis* in stabilienda doctrina christiana *f)*. *Illarum* porro *recensio* curatius instituta a *conciliis et doctoribus;* ut adeo ab initiis Sec. V. in Canone librorum utriusque Foederis constituendo, fere consenserint *g)*. Accessere denique *Constitutiones Principum* de fidei catholicae veteris puritate observanda *h)*.

a) v. Symbola, *Romanum*, *Aquileiense* et *Orientale* apud *Rufinum*, Expos. in Symb. Apostol. *Caesareense*, apud *Athanasium*, de decretis Synod. Nicaen. et *Socratem*, H.

H. E. L. I. c. 8. *Hierosolymitanum*, explicatum a *Cyrillo* Cateches. ad Compet. alia apud *Walch*. in Biblioth. Symbol. vet.

b) Nicaenum apud *Athanas*. et *Socrat*. II. cc. *Theodoret*. H. E. L. I. c. 12. Constantinopol. in Actis huius Concilii apud *Harduin*. Concil. T. I. pag. 807 sq. Adde declarationem Conc. Chalcedonens. apud. eumd. T. II. p. 451 sq.

c) In *Athanas*. Opp. T. II. p. 728. ed. Montefalc. cuius quae ibidem exstat, et *Waterlandi* anglosax. de hoc Symb. disputationes legendae.

d) Praesertim a Conciliis oecumenicis. Memoranda etiam *Confessio fidei cathol*. in LL. Carol. de cultu imaginum. L. III. c. 1. a. Synod. Francof. a. 794. confirmata.

e) De privatis eorum quas mutuo mittebant, confessionibus.

f) v. inprimis *Athanasium*, *Ambrosium*, *Chrysostomum*, *Hieronymum*, *Augustinum*, ipsumque *Vincent*. *Lirin*. etsi traditionis ecclesiast. commendatorem.

g) *Euseb*. H. Eccl. L. III. c. 25. *Laodiceni* Concil. post a. 344. Canon. LX. apud *Beveregg*. Synodic. T. I. p. 453. et de eo *Spittleri* libellus germ. Concil. *Carthag*. III. 397. Can. XLVII in *Harduini* Concil. T. I. p. 968. Canon Script. S. apud *Athanasium*, *Cyrillum*, *Hieros*. *Gregorium Nazianz*. *Epiphanium*, *Hilarium*, *Hieronymum*, *Rufinum*, *Philastrium* et *Augustinum*.

h) C. Theod. L. XVI. t. 1. de fide cathol. l. 2. 3 et t. 5. de haeret. C. Iust. L. I. t. 1. de summa Trinit. l. 1. et 2. de haeret.

§. II.

Theologia Christiana amplificata et exornata.

Neque infeliciter primis Seculis huius aetatis exculta est doctior et acutior religionis discendae docendaeque ratio, sive *Theologia*, postquam apparatus ille doctrinae et artium Graecarum atque Romanarum, Christianorum usibus inservire coeperat. Rursus tamen non pauca in eam disciplinam illata, quibus rectius caruisset. Iam quidem

alle-

allegoriarum studium in Scriptura sacra interpretanda nonnihil coercitum, et *grammatica interpretatio* eiusque praesidia meliora ab egregiis viris commendata *a*). Sed plerique interpretes *sermonis hebraei ignorantia laborabant b*). *Dogmata catholicorum* plurima cum oppugnarentur, ut de *divina natura Filii* et *Spiritus divini*, *de semine peccatorum in hominibus*, alia, *subtilius illa constituta* sunt, partim et *novis vocabulis* in subsidium vocatis *c*). Inprimis *Augustinus* innumeris *quaestionibus* et *argutiis* serendis campum aperuit latissimum, de rebus divinis, vel sine sacris litteris, disputandi *d*). Quam viam ingressuris favit etiam *Philosophiae Aristotelicae* a Seculo V. inter Christianos dignitas *e*). Perfectum hoc modo denique *systema theologicum* plenius a *Io. Damasceno*, non sine moderationis aliqua laude *f*). Sed sophistarum artificia ad defendendam religionem traducta mature pepererunt *genus disputandi κατ' οἰκονομίαν g*). De *moribus christianorum regendis*, multa egregie, aliqua *mysticis*, et inter hos principibus, *monachis* digniora, iam Seculo IV. proposita *h*). In *docendo* publice *populo* nimium saepe eloquentiae tributum *i*). *Sentiendi* autem *libertas* conciliorum et potentiorum doctorum auctoritate satis *imminuta* fuit.

a) v *Io. Aug. Ernesti* Narrationem criticam de interpretatione Prophetiarum Messianarum in Eccles. Christ. in Opusc. theolog. p. 493 sq. De *Eusebio Emiseno*, *Diodoro Tarsensi*; et *Theodoro Mopsuest.* sacrar. litt. interpretibus nequaquam contemnendis. De *Euthalii* curis criticis. *Nonni* paraphr. in Io. Euang.

b) Caussae rei ex superiori aetate repetendae.

c) V. c. ὁμοούσιος θεοτόκος consubstantialis, peccatum originis, alia. In iis, super quibus nondum pugnatum est, diversae vigebant formulae, ut v. c. de S. Coena.

d) Auctor theol. scholast. seu systemat. apud Latinos.

e) Aptior ea controversiis gerendis, quam Platonica.

f) De omissis ab eo vel nimis tenuiter tractatis dogmatibus.

g)

g) *Clem. Alex.* Strom. L. VI. p. 675. ed. Col. *Hieron.* Comment. in Ep. ad Galat. T. IV. Opp. P. I. ed. Ben. *Chrysost.* Homil. III. in Ep. ad Titum p. 637. T. VI. Comment. ed. Francof. v. *Is. Casaubon.* Not. in Epist. *Greg. Nyss.* ad Eustathiam. p. 92 sq. *Dallaeus* de Vsu Patrum, p. 159 sq. Genev. 1686—4. alii.

h) Praestantiores in doctrina morali *Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus*, etsi et ipsi non raro lapsi; leviores multo *Ephraem Syri, Hieronymi, Macarii* utriusque et aliorum libelli atque homiliae asceticae.

i) Conf. *Fr. Bernh. Ferrarium* de ritu sacrarum Eccles. cathol. concionum. p. 266 — 286. Paris. 1664. 8.

§. III.

Eius vis et praestantia paene omnis occidit.

Eamdem vero *a seculo* inde *sexto sustulerunt* omnino non modo eiusdem generis caussae, et *anathemata* crebrius in eos iactata, qui a vulgaribus sententiis discederent; sed etiam magis nata eo tempore *ingeniorum barbaries*, praesertim in Occidente: unde *secordia* et *credulitas*, quae nihil dedignarentur, quod receptis dogmatibus patrocinari posset. Hinc in utraque Ecclesia vel *allegoriis* indulsere, qui Scripturae S. interpretes habebantur *a*); vel e *Patribus* hauserunt quaedam utiliora, nimium eos reverentes *b*). Ex iisdem *sententias theologicas* compilabant: haec *dogmaticorum* virtus erat *c*). In tuenda religione nomini et numero eorum, *conciliorum* decretis, *traditioni* etiam ecclesiasticae longe plurimum tribuebatur *d*). Et cum incredibilia *rei monasticae incrementa* simul *mysticae theologiae*, quae tum a Graecis e libris, *Dionysii Areopagitae* nomine venditatis, diligenter petebatur, laudes augerent: tanto minus verae doctrinae theologicae locus aliquis relictus erat. Neque *Alcuinus*, qui exeunte hac periodo acutius ceteris tractare controversias videbatur, sui similis ubique perstitit.

a) v. *Gregorii* Moralia in Iobum. alios.

b) *Primasius*, *Beda*, alii. Orti et *Catenarum* scriptores, v. c. *Olympiodorus*.

c) *Isidor. Hispal.* Sententt. LL. III. *Taionis Caesaraugust.* Sententiar. LL. V. Seculo septimo.

d) v. Acta Concil. Oecum. VI. a. 680. et Concilii Nicaeni II. a. 786. ipsumque *Damascenum*, pro imaginum cultu decertantem.

§. IV.

Superstitionis christianae origines.

Sed *prima malorum labes*, qua infecta est et religio et theologia Christianorum, altius sine dubio requirenda est. Nam postquam illi exoptata *libertate* donati essent a *Constantino M.* patefacta est via ad summam in utenda exercendaque religione *licentiam*. In quam illi ita irruerunt, ut *pro virtute christiana caerimonias*, pro cultu Dei *commenta phantasiae* reciperent, vellentque *placere Deo*, quae *nec* ille *iussisset*, *nec digna* essent hac sublimi *religionis* suae *simplicitate*. Favebant *magnificentiae in sacris publicis* Imperatores, viri opulenti, episcopi ipsi. *Pii* videbantur *sensus* omnes, quos erga religionem effundebat populus; eos vero *probari a Deo* multis modis, facile sibi persuadebant christiani. Accedebant *novae sanctitatis* instituta, quae prae se ferebant *monachi*, sub id ipsum tempus orti et statim probati. Nec a *gentilium sacrorum imitatione* temperatum, cum ethnici ingenti agmine ecclesiam ingrederentur a). *Paucis doctorum* in tanta rerum conversione, vel *ingenii* vel *animi* satis erat ad resistendum: plerique commendabant aut indulgebant. Qui *ritus futiles* aut opiniones de *caerimoniarum virtute* et his similia contemnerent publice, ii in haereticis habiti sunt, nec leve discrimen salutis adierunt. Tales constat fuisse, etsi in nonnullis forte placitis lap-

lapsos, *Aërium* b), *Iovinianum* c), et inprimis *Vigilantium* d), virum bene animatum erga pietatem christianam; sed potenti adversario succumbentem. Hoc modo nata est *in religione christiana superstitio*, quae una ad *illam pessumdandam* plus valuit, quam omnium hostium eius impetus e).

a) *Hambergeri* Enarratio rituum, quos Ro. Eccl. a maioribus suis gentilibus in sacra sua transtulit. Memorabilis comparatio Christt. cum Gentilib. apud *Tertull.* de Orat. c. 12.

b) *Epiphan.* haeres. 75. *Augustin.* de haeres. c. 53.

c) *Hieron.* contra Iovin. LL. II. *Augustin.* l. c. c. 82.

d) *Hieron* L. advers. Vigilant. et in Epistt. *Gennad.* de Scr. eccl. c. 35.

e) Superstitionis christ. genera multa illustrarunt *Io. Dallaeus* Disp. adversus Latinor. de cultus religiosi obiecto traditionem, Genevae, 1664. 4. et *Iac. Basnagius* in Hist. Eccl. T. II. p. 907 sq. Add. *Petri Bruni* et *Io. Bapt. Thiersi* libros de superstitionis generibus aliis, gall. scriptos.

§. V.

Progressus eius celerrimi.

Erant ex primis huius aetatis *institutis*, quae, etsi humano consilio *adiungerentur religionis exercitio*; tamen reprehendenda in se non essent, quod ab utilitate non destituerentur. Ita *Dies Dominicus* vacatione a laboribus consecratus a), *Natalis Christi* solenni ritu celebratus b). *Templa* splendidiora aedificata, etsi in his cito modum excesserint Christiani c); quibus iungi possunt alia. Sed et *immensus* sacrarum caerimoniarum *numerus*, qui quotidie propullulabat, et *persuasio*, in his sitam esse religiosae pietatis naturam universam, satis noxia erant; deinde illud gravius, quod *necessitas earum* observandarum imposita d), pluresque *abhorrentes ab ingenio* Christianae *fidei*, im-

immo *ludicrae* et *vanae* introductae sunt. Ita *Crucis* figuram *venerari*, et ab ea *mirabilia* quaeque sperare *e*), *reliquias Sanctorum* undique conquisitas colere *f*), *Martyribus* aliisque *Sanctis* vita functis, *precibus* salutem suam commendare *g*), *eorum imaginibus* cultum divino proximum praestare *h*), *templa Mariae* Virgini aliisque *Sanctis dicare* *i*), *peregrinari Hierosolymam*, et ad alia loca sancta, quae putabantur, religionis caussa *k*), *coelibatum*, *vitam solitariam*, *abstinentiam a cibo* frequentem, consummatae virtutis documenta existimare *l*), *ritum* omnem *ecclesiasticum spectaculi* cuiusdam apparatu onerare *m*), *festos dies infinitos* sancire *n*), alia his similia, didicerunt Christiani. His omnibus firmandis, *miracula*, *visiones* et *revelationes* divinae perpetuo iactatae *o*). Hoc autem pietatis genus *doctores*, inprimisque *monachi*, etiam per fraudes, alebant tanto magis, quo fortiori *obsequii vinculo* Christianos ita sibi obstringi cernebant, et quo felicius eorum erga se *liberalitatem* hoc pacto provocabant. Fuit igitur *superstitio* inter *artes* clericorum *regnandi*: quod cum immensae *leges liturgicae* loquuntur; tum inter cetera, *Romani sermonis*, quamquam deficientis sensim in Occidentis usu vulgari, continuata *in cultu divino auctoritas* *p*).

a) C. Theod. L. II. t. 8. de feriis l. 1. 2. C. Iust. L. III. t. 12. de fer. l. 2. 3. et plures legg. in utroque Cod. *Euseb.* de vita Const. M. L. IV. c. 18 — 20.

b) Const. Apost. L. V. c. 13. L. VIII. c. 33. et ad locum priorem *Cotelerius*. *Ammian Marcellin.* L. XXI. c. 2. *Chrysost.* homiliae de natali Chr. et de baptismo Chr. Alii.

c) *Euseb.* de V. C. M. L. III. c. 25 sq. 50. 51. L. IV. c. 58. *Socrat.* H. E. L. I. c. 16 — 18. L. II. c. 16.

d) *Augustin.* Ep. CXIX. ad Ianuar.

e) *Euseb.* de V. C. M. L. II. c. 7 sq. III. c. 49. L. IV. c. 6. 21. *Eiusd.* Orat. de laudib. Constant. c. 6. *Dallaeus* advers. Latinor. de obiecto cult. relig. traditionem, p. 768 sq. post quem *Iac. Basnagius* historiam om-

omnem superstitionis christ. copiosissime persecutus est, in H. Eccl. Tomo II.

f) *Socrat.* H. Eccl. L. I. c. 17. Commendarunt Martyrum reliquias *Basilius* M. *Gregor.* uterque. *Chrysostomus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Gregor.* M. in Epist. cf. Vita S. *Eligii* in *Dacher.* Specil. vett. Script. T. II. p. 92 sq. *Dallaeus* l. c. p. 582 sq.

g) v. *Basil* M. et *Gregor. Nyss.* Orat. in XL. Martyres; *Chrysost.* Homil. de SS. Martyrib. *Ambrosium*, L. de Viduis, Comment. in Euang. Lucae. c. 21. alios. Honori B. *Mariae* Vir. inprimis permultum tributum inde a controversiis super eius virginitate, deinde Nestorianis, conf. *Iustinian.* Cod. L. I. t. 27. l. 1.

h) A templis eas arcuerat Concil. Eliberit. can. 36. nec in iis passus est locari *Epiphanius.* Cultum earum frustra oppugnavit *Augustin.* de morib. Eccl. Cathol. L. 1. c. 34. et *Gregor.* M. in Epist.

i) *Procop.* de aedif. Iustin. L. I. c. 3. 8. L. V. c. 2. L. VI. c. 7.

k) *Euseb.* de vita Const. M. L. III. c. 42. *Gregor Nysseni* adversus eas libellus. *Hieronymus* iisdem iam contrarius, iam favens. Conf. *Io. Henr. Heideggerum* de peregrinatt. religiosis, Tig. 1670. 8.

l) *Ambrosii*, *Hieronymi* et aliorum commendationes huius generis. *Siricii* lex de coelib. clericor in collect. Dionys. et in *Harduini* Concil. T. I. *Greg.* M. L. 1. ep. 50. L. III. ep. 26. De *Stylitarum* stultitia, *Theodoret.* Hist relig. c. 26. *Euagr.* H. Eccl. L. l. c. 13. L. VI. c. 23. *Theod. Lect.* Exc. L. II. p. 524. ed. Taurin.

m) De *Canone MissaeGregoriano*, v. huius L. VII. ep. 64.

n) Maxime a. Sec. VI. festa Christi, Mariae, Apostolorum. Martyrum, Omnium Sanctorum, Exaltat. Crucis, cet. exorta.

o) *Sulpit. Sever.* in vita Mart. Turon. alii plurimi.

p) v. *Iac. Vsserii* Historia dogmatica controversiae de scripturis et sacris vernaculis, Lond. 1690. 4. *E. F. Wernsdorfii* Historia linguae latinae in sacris publicis.

§. VI.

Inde mutatio Religionis Christianae.

Hinc non modo universa religionis Christia-

nae

nae facies fucata, et in varias formas mutabilis prodiit, *corrumpente* revera superstitione *naturam illius* et *praestantiam;* sed manifesto etiam *novis* iisdemque *falsis sententiis* contaminata est. Quo pertinet noxia inprimis opinio, posse *placari Deum*, et indulgentiam erga peccata ab eo sperari, cum in universum varietate immensa rituum observanda, tum maxime edita *in aedes sacras, coenobia et clericos liberalitate*, omninoque esse, quod *christiani sanctitate vitae* apud Deum *promereantur* a). Porro invasit ecclesiam turpis fabula de *Purgatorio*, seu igne quodam subtiliore, purgaturo post excessum ex hac vita animas eorum, qui propter delicta quaedam in conspectum Dei venire non possent: eaque non modo recepta ab Occidentalibus, sed etiam variis commentis stabilita, aliorumque errorum parens b). *Eucharistiae* autem coene dominica, quae *Missa* dicta est a Seculo IV. sensim spectaculo potius esse coepit, quam ut piis usibus inserviret, oriente opinione, eam vel *solo sacrorum ministro celebratam vivis mortuisque prodesse.* Qui fuere natales *Missarum privatarum* seu *solitariarum*, *a. Sec.* maxime *octavo* c).

a) S. *Eligii* vita l. c. (ad §. sup.) p. 96. *Adriani* Episc. Rom. ad Car. M. ep. 49. 92. apud *Murator.* Scriptt. Rer. Ital. T. III. P. II. *Muratorii* Diss. de redemptione peccatorum in Antiqq. Ital. medii aevi, T. V. p. 712 sq. *Monastica* vita *secundum baptisma. Beda* H. E. L. IV, 1.

b) *Augustin.* Enchirid. ad Laurent. seu de fide, spe et caritate, c. 18. de fide et operib. cap. 16. *Gregor.* M. Dialog. L. IV. p. 441. *Bedae* H. Eccl. L. III. 19. L. V. 13. *Bonifac.* Epist. apud *Baron.* ad a. 716. *Pe. Molinaeus* de Poenit. et Clavib. L. VII. de Purgatorio, p. 351. sq. Sedan. 1652. 8.

c) *Carol. M.* de cultu imag. L. II. p. 245. ed. Heum. *Theodulph.* Episc. Aurel. eiusdem aetatis, in Capitularibus, p. 667. in Opp. *Sirmondi*, T. II. ed. Venet. Concil. Paris. a. 829. c. 48. Conf. inprimis *Io. Bonae* Rer. Litarg. L. I. c. 13. 14. *G. Cassandri* Consultationem de

de articulis relig. inter Cathol. et Protest. controversis, p. 254. sq. ed. a. 1612. 8. *Georg. Calixtum* de Pontificio Missae sacrificio, Francof. 1614. 8. et *Io. Fr. Buddeum* de origine Missae Pontificiae, in Miscellaneis, P. I. p. 1 sq.

§. VII.

Controversia de colendis imaginibus Sanctorum.

Inter ceteras malesanae pietatis sordes, *pictarum tabularum, statuarum*, aliorumque monumentorum, quae imagines *Apostolorum, Martyrum* et *aliorum Sanctorum* referebant, *in* ipsis *aedibus sacris a Seculo* inde *quinto* obvia, *cultus* ethnicae superstitioni satis adfinis, non modo altas radices egerat Seculo iam VII. sed etiam cum *invocatione Sanctorum* a), qui *intercedere* pro mortalibus *apud Deum* credebantur, coniunctus erat. Hunc tollere, et ipsas *imagines templis eiicere* cum *Leo Isaurus*, Imp. Constantinop. laudabili consilio, sed praecipiti, conaretur ab a. DCCXXVI. *graves* inde *turbae* consecutae sunt, *Clericorum* maxime vitio, inprimisque, quod supra relatum est, *Pontificum Romanorum*. Audita hinc ex altera parte *iconolatrarum* et *iconodulorum*, ex altera *iconoclastarum* et *iconomachorum* nomina. *Successores* tamen *Leonis*, eiusdem cum illo propositi tenaces, *iconolatras legibus et poenis* etiam, ob turbulentum ingenium, coërcere; *Constantinus* vero *Copronymus*, habito *Constantinopoli* a. DCCLIV. *Concilio oecumenico*, Graecis *septimo*, iconolatriam, imo omnem usum sacrarum imaginum, Ecclesiae decreto damnare instituit. Sed *Irene* Augusta, ut cleri et plebis satisfaceret votis, a. DCCLXXXVII. auctore *Tarasio*, Patriarcha Cpol. *Concilium Nicaenum II.* proscriptam toties *superstitionem* in Ecclesiam *reducere* iussit b). Cui cum accederent Romani Episcopi Patres contra *Francofurtani Concilii*, quod

quod auspiciis *Caroli M.* coactum est a. DCCXCIV, *tolerandas* quidem *in templis imagines Sanctorum* esse, ceterum *nullo* omnino *cultu* prosequendas, sanxerunt, probato simul libro, quem pro eadem sententia Rex *Carolus* scribi iusserat c).

a) *Beda* Hist. Eccl. gent. Angl. L. III. c. 13. *Dallaeus* libro laud. p. 340 sq.

b) Historia ingentis certaminis petenda ex *Theophanis* Chronographia, *Nicephori* Breviar histor. *Cedreni* et *Zonarae* Annalibus; *Io. Damasc.* Oratt. de imaginibus; Actis item. Concil. Nicaeni II. (quae habent etiam fragmenta Act. Concil. Constantinopol.) in *Harduini* Concil. Tom. IV. inter Latinos autem ex *Anastasio* in vita Constantini, Gregor. II. et sequentium Episc. Ro. *Pauli Diac.* Hist. misc. L. VI. et Pontiff. Ro. epistolis. E recentioribus *Io. Dallaeus. Natalis, Alexander* et *Frid. Spanhemius* eamdem diligentius illustrarunt.

c) Annal. Bertin. Metens. alique ad a. 794. Acta Concil. Francof. apud *Harduin.* l. c. *LL. Carolini* de impio imag. cultu.

§. VIII.

Lites cum haereticis. Turbae Arianae.

Hoc modo Christianis, qui se *catholicos* vocabant, summam religionis depravantibus, ea tamen cura perpetua sedit, ut illam a corruptelis *haereticorum*, quos eo nomine designabant, vindicarent. Sed non tantum in *iudicio de his ferendo saepius* ac vehementer *errabant*; verum maxime *in* tractanda *universa cum iis disputatione*. Multa iam adversus eos *per vim et iniuriam* acta: *flammis* in *libros* eorum, *exiliis* et *poenis capitalibus* in ipsos saevitum; *perniciosis motibus* ipsa respublica concussa est. *Haeretici* autem *nominis* invidiam sustinebat, quidquid regnantis ecclesiae formulis repugnabat, etiam in levioribus: etsi quaedam huius generis controversia primaria dogmata tangerent; immodeste tamen omnes agitatae. Multa inprimis tentata in Christianorum *de divina*

Tri-

Trinitate doctrina. Primus hoc aevo *Arius*, presbyter Alexandrinus, vir doctus et dialectica facultate praestans, ad a. fere CCCXX. *negando Filio Dei eamdem cum Patre divinam naturam et dignitatem*, adque adeo *aeternitatem*, eique tribuendo *originem ex nihilo ante orbem conditum*, gravissima dissidia concitavit [a]). Quae sedare primum *epistola* studuit *Constantinus M.* [b]); deinde coacto a. CCCXXV. *Concilio Nicaeno*, eodemque *oecumenico primo*, quod, damnata *Arii* sententia, *Christum* Patri prorsus ὁμοούσιον esse statuit, idque, edito *Symbolo*, confirmavit [c]). Superfuit tamen *Arianismus*, etsi legibus et poenis vexatus, et auctore a. CCCXXXVI. mortuo, imo novas subinde vires recuperavit. Faverunt ei *Constantius* et *Valens* Impp. multi etiam *episcopi* Seculo IV. unde foeda et indigna plurima ex utraque parte commissa [d]). Eamdem de *Christo* sententiam *Gothi*, *Burgundiones*, *Vandali*, aliaeque Germanicae gentes receperunt; ut *septimo* demum *seculo*, quae latissime patuerat professio eius, *oppressa* sit [e]). Nec obstiterunt his progressibus *sectae inter Arianos* natae quarum principes fuere, *Anomoeorum*, qui *Christum Patri* ἀνόμοιον κατὰ πάντα dicebant, qui et *Aëtiani* ac *Eunomiani* appellati; et *Semi Ariani*, qui *Christum Patri* ὁμοιούσιον vocabant *f*).

a) v. Epistolas *Arii* apud *Epiphan.* haer. 69. n. 6. 6. et *Theodoret.* H. E. L. I. c. 5. ac praeter horum scriptorum narrationem, *Euseb.* de vita Const. L. III. c. 4. *Socratem* Hist. Eccl. L. I. c. 5 sq. *Sozom.* H. E. L. I. c. 15 sq. *Philostorg.* Episc. H. E. p. 4 sq. ed. Gothofr. Scriptores item Anti-Arianos, maxime *Athanasium* et *Hilarium*, variis libris.

b) Apud *Euseb.* de V. C. L. II. c. 64 sq. et particula apud *Socrat.* I. 7.

c) Script. supra laudati, maxime *Euseb.* de vita Const. M. L. III. c. 6 sq. De *Gelasii Cyziceni* Actis Conc. Nic. apud *Harduin.* Concil. T. I. Canones graecos genuinos habet idem l. c. p. 323 sq. et *Bevereg.* in Synod. T. I.

d) *Athanas.* de morte Arii, historia Arianor. cet. *Socr.* H. E.

H. E. L. IV. c. 16. *Sozom.* l. c. L. II. c. 29. et Script. cit. leges item contra Arianos latae, C. Th. L. XVI. t. 5. de haeret. l. 1. et plures.

e) v. dicta supra C. I. §. 5. et praeterea *Iornand* Rer. Getic. c. 25. *Greg.* M. L. I. ep. 17. *Paull. Diac.* de gest. Langob. L. IV. c. 6.

f) *Epiphan.* haeres. 69. 73. 74. 76. *Socrat.* Hist. Eccl. L. I. c. 6. *Eunomii* Expositio fidei et Apologeticus leguntur in *Fabric.* Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 253 sq. Confessio autem fidei cum prologo et epilogo Apologetici, in *Canisii* Lect. antiquis. T. I. p. 172 sq. ed. Basnag. Conf. Libros a *Basilio* M. et *Greg. Nysseno* adversus eum scriptos. De *Conciliis* et *formulis fidei* nonnullis *Nicaenorum* s. Catholicorum, et *Arianorum*. De *Eusebianis* item et *Acacianis*.

§. IX.

Photini, Macedonii et aliorum adfines sententiae.

Ab eadem *de Trinitate divina* Catholicorum doctrina, plures discessere Seculo IV. iique partim auctores sectarum, quae ab ipsis nomen duxerunt. In his *Photinus* fuit, Episcopus Sirmiensis, vir ingeniosus, doctus et eloquens, qui post a. CCCXL. docere coepit, assentientibus non paucis; *Christum hominem tantum* fuisse, ex *Maria* ortum; cui tamen propter coniunctionem cum eo verbi divini, *nomen Dei* concedi possit. Damnatus haereseos in concilio Sirmiensi a. CCCLI. munere deiectus, et exilio mulctatus est *a*). Brevi post *Macedonius*, Semi-Arianus, isque inprimis disertus, qui inter mutuas Catholicorum et Arianorum caedes, Episcopatum Constantinop. obtinuerat a. CCCXLII. quo tamen privatus est a. CCCLX. contendit, *Spiritum divinum Dei loco habendum non esse*; sed pro *virtute* fere *divina*. Adseclae eius non eiusdem omnes sententiae, etiam πνευματομάχοι dicti. His opposuit se *Concilium Constantinopolitanum* I. inter *oecumenica secundum*, a *Theodosio*

M.

M. convocatum a. CCCLXXXI. quod, reprobato dogmate *Macedoniano*, *Symbolum Nicaenum*, additis quibusdam de Spiritu S. *confirmavit* b). Eodem fere tempore cum *Appollinaris* iunior, Laodicenus Episc. statueret, Platonica philosophia usus, *Christum* ψυχὴν quidem, non πνεῦμα, habuisse, quod *huius vices divina natura* sustinuerit, post a. CCCLXX. conciliorum decreta, mox et leges Imperatorum, eius opinionis progressus coërcuerunt c). Traditur etiam, *Marcellum*, Ancyrae in Galatia Episcopum, qui post a. CCCLXX. mortuus est, in oppugnando dogmate Ariano ad renovandum *Sabellianum* delapsum esse; de qua tamen accusatione difficile est iudicare d).

a) *Hilar. Pictav.* de Trinit. L. VII. et de Synodis. *Epiphan.* haer. 71. et in Ἀνακεφαλ. *Socrat.* H. E. L. II. c. 19. 29. 30. *Sozom.* H. E. L. IV. c. 6. *Vincent. Lirin.* Commonit. c. 6. De Conciliis Sirmiensibus et Symbolis, quae condiderunt, post alios vid. *Socrat.* l. c. c. 30. et *Petavii*, *Sirmondi* ac *Marcae* Dissert. De legibus adversus Photinianos, C. Th. L. XVI. t. de haeret.

b) *Athanas.* hist. Arian. et fragment. contra Macedonianos. *Epiphan.* haer. 73. 74. *Socrat.* Hist. Eccles. L. II. c. 6. 12. 13. 16. 27. 38. 42. 45. *Sozom.* H. E. L. III. c. 3. 4. 7 — 9. cet. L. IV. c. 27. *Greg. Naz.* Orat. 37. 44. De Concilio Constantinopolit. *Socrat.* H. Eccl. L. V. c. 8. *Sozom.* H. E. L. VII. c. 7 — 9. *Harduin.* Concil. T. I. p. 807. Memorandus et hoc loco liber *Basilii* M. de Spir. S. eiusque iudicium de hac controversia.

c) Praeter ea, quae de *Appollinari* supra p. 124. dicta sunt, v. *Epiphan* haer. 77. *Socrat* H. E. L. II. c. 46. *Sozom.* Hist. Eccl. L. VI. c. 25. inprimis autem fragmenta librorum Apoll. apud *Greg. Naz.* Orat. 44. ad Nectar. *Gregor. Nyssen.* Antirrhet. adv. Apollin. *Theodoret*, in Dialogis, et *Leontium Byzantinum* advers. fraudes Apollinarist. Legg. contra Apollinarist. in C. Th. l. c.

d) v. *Hieron.* Catal. Scr. eccl. c. 86. Confessiones fidei a *Marcello* et adseclis eius propositas, apud *Epiphan.* haer. 72. et *Montefalc.* Collect. nova PP. T. II. loca item e libro eius apud *Euseb.* LL. II. contra Marc. et de Eccl. Theol. L. I. c. 17. *Basil.* M. Epist. et *Chry-*

 sost.

sost. homilias plures; Socrat. Hist. Eccl. L. I. c. 36. Sozom. H. E. L. II. c. 33.

§. X.

Iisdem super dogmatibus concertationes cum Nestorianis Sec. V.

Accidit certe hoc tempore, ut, cum in tanto disputationum theologicarum strepitu, gravibus odiis et suspicionibus certaretur, omnisque vel in verbis dissensus a vulgata sententia, traheretur in vitium, etiam qui maximopere conarentur proscriptos errores vitare; tamen in contrarios incidisse iudicarentur. Ita *Nestorius*, Patriarcha Constantinopolitanus ab a. CCCCXXVIII. discipulus *Diodori Tars.* et *Theodori Mopsuet.* doctrina, eloquentia et pietate insignis; sed imprudentior, et pro pugnacissimae aetatis ingenio, acrior haereticorum hostis, quod *negaret, Mariam virginem dicendam esse* θεοτόκον, a *Cyrillo Alexandrino* accusatus est *divisae* nimium *utriusque in Christo naturae in personam duplicem.* Ab eodem, etsi non male interpretaretur *Nestorius* mentem suam, in Concilio *Ephesino*, iubente *Theodosio* II. congregato a. CCCCXXXI. quod *oecumenicorum tertium* habetur, haereseos dammatus est, et eiectus Ecclesia, tandem in exilium missus, in quo paullo post obiit. Qui eum defendebant, ipsumque *Cyrillum* confirmabant male de *Christo* sentire, *Nestoriani* dicti sunt, non exilis ad nostra usque tempora per Orientem coetus; *Christianos Chaldaeos* et *S. Thomae* vocant. Sectam non *Nestorius* condidit; sed impotentia et iniquitas *Cyrilli*, patuitque tum maxime, quam noxia essent Concilia rei christianae *).

*) *Nestorii* Homiliae 13. et plura fragmenta librorum, quos permultos scripserat, inter *Marii Mercatoris*, qui eadem aetate vixit, Opera, a *Garnerio* edita, Paris. 1673. fol.

fol. in Actis item Concil. Ephes. *Baluz.* Nova Collect. Concil. p. 383 sq. et *Harduini* Concil. T. I. Adde *Cyrillum Alex.* et alios, e quibus maxime consulendi *Socrat.* H. E. L. VII. c. 29. 31. 32. 34. 35. *Liberatus* in Breviario, h. e. Historia Nestoriana et Eutychiana, ed. a *Garnerio*, Paris. 1675. 8. *Euagr.* H. Eccl. L. I. c. 2—7. conf. C. Th. L. XVI. 1. 5. de Haeret. l. 66.

§. XI.

Et eodem Seculo cum Monophysitis; septimo cum Monotheletis.

Sed *Eutyches*, Abbas et Presbyter prope Constantinopolin, pius ille, nec indoctus, dum errorem *Nestorio* tributum intemperantius et subtilius oppugnat, in oppositum incurrit multorum sententia: ut statueret, *unam tantum in Christo superesse naturam, post divinae et humanae in eo coniunctionem*; quo ipso et discrimen earum tollere videbatur, et vero etiam veritatem actorum *Christi* inter homines *a*). Absolvit quidem eum Synodus *Ephesina* a. CCCCXLIX; verum mox haereseos reum pronunciavit *Chalcedonensis*, a. CCCCLI. coacta a *Marciano* Imperat. inter *oecumenicas quarta*, simul et formam docendi de hoc argumento accuratiorem stabilivit *b*). Neque tamen vel tali auctoritate oppressa est *Eutychianorum*, qui et *Monophysitae* dicti sunt, secta. Occupatae ab iis cathedrae *Alexandrina et Antiochena;* rursus caedes patratae: et quamvis *Henotico a Zenone* Imp. a. CCCLXXXII. publicato, non pauca eorum ad Ecclesiae Catholicae communionem redirent, sectae etiam inter ipsos *Acephalorum, Apthartodocetarum, Phthartolatrarum, Agnoëtarum*, aliae, nascerentur; tamen omnem *Monophysitarum* familiam *Iacobus Baradaeus*, Syrus mort. a. DLXXVIII. novis incrementis auxit et amplificavit, a quo nomen sortiti *Iacobitarum*, hodieque, in Aegypto maxime, supersunt *c*). Imo Ca-

Catholici ipso studio fervidiore dogmatum adversus eos tuendorum, aut eorum sibi conciliandorum, ad serendas novas abrepti. Ex quo genere fuit lis *de tribus Capitulis*, h. e. locis Concilii Chalcedon. et scriptis quibusdam eo pertinentibus, *Theodori Mopsuesteni*, *Ibae Edesseni*, et *Theodoreti*, damnatis denique in Concilio *Constantinop.* DLIII. sive *oecumenico quinto*, *Iustiniani* iussu habito *d*). Eodem de fonte manavit *controversia Monotheletica*, super quaestione, utrum *duplex* sit, an *unica in Christo voluntas?* agitata ab anno DCXXII. Eam *Heraclius* et *Constans* Impp. *Ecthesi* et *Typo* propositis, frustra sopire studuerunt: iam enim potestas civilis minime par erat moderandis turbis ecclesiasticis. Composuit tandem *Concilium oecumenicum sextum*, Constantinop. celebratum a. DCLXXX. imperante *Constantino*, quod *Monotheletas*, et in his *Honorium*, Episc. Ro. tanquam haereticos anathemate percussit *e*).

a) *Eutych.* Epist. ad *Leon.* I. Ro. Ep. in Synodico apud *Baluz.* l. c. p. 932 sq. *Eiusd.* Professio fidei, ib. p. 934. alia in Actis Concil. Chalced. *Leonis* Ro. Epistt. plures. *Flaviani* Constantinopol. Epist. ad Leonem veteris Ro. Archiepisc. apud *Baluz.* l. c p. 1372. *Facund. Hermian.* in defens. trium Capitt. *Liberatus* in Breviario. *Euagr.* H. E. L. I. c. 9.

b) Acta Synodi Ephes. quae ληςρικὴ dicitur, et Chalcedonensis apud *Harduin.* Concil. T. II. ubi et Acta Conc. Constantinopolit. quod primum damnaverat Eutychem; conf. *Baluz.* l. 2. et *Fabric.* Biblioth. Gr. Vol. IX. et XI. *Leo* et *Liberat.* ll. cc. *Euagr.* l. c. c. 9. 10. L. II. c. 2 sq.

c) *Liberat.* l. c. c. 14 sq. *Euagr.* . c. L. II. c. 5. 8. cet. De *Henotico Liberat.* c. 18. *Euagr.* L. III. c. 14 sq. *Gelasii* I. et alior Episc. Ro. Epistt. De *sectis Eutych.* iidem, et *Leontius* de sectis. De *Iac. Bar. Niceph* Hist. Eccles. L. XVIII. c. 52 sq. et *Assemann.* Biblioth. Orient. T. II.

d) *Liberatus* et *Facund. Hermianens.* libris laudatis. *Euagr.* H. E. L. IV. c. 38. *Baluz.* Nova Coll. Concil. p. 1475 sq.

sq. *Harduin.* Concil. T. III, De *Vigilii* Ep. Ro. in ea caussa actis.

e) Pleraque acta, leges, cet. ad historiam huius litis pertinentia habet *Harduin.* l. c. Conf. *Anastas.* in Martino, *Theophanes*, aliique Byzantini historici; e theologis huius aetatis, *Maximus Confessor*, et *Io. Damascenus.* De Concilio *Quinisexto* seu *Trullano*, a 691, v. *Harduin.* l. c. coll. *Anast.* in Sergio et Iohanne.

§. XII.

Pelagianae lites, et natae ex iis aliae.

Haec dissidia *Orientalem* potissimum afflixere *Ecclesiam*, atque adeo *Rempublicam;* alia *Occidentem* magis turbarunt, in primis *Pelagiana*, in hoc illis similia, quod alias disceptationes genuerunt, saepius postea, etiam postremis seculis, renovatas, ceterum *novi* prorsus inter Christianos *generis*. *Pelagius* enim, monachus *Britannus*, vir doctus in paucis et probus, cum discipulo *Caelestio*, in dialecticis exercitato, ab a. CCCCXI, docuit in Africa, *peccatum Adami posteris eius non imputari*, qui potius *ob propria peccata* moriantur; haec ergo *non e corruptione naturae*, sed e *caussis externis* nasci; *liberi etiam arbitrii eas vires* apud homines esse, quas tribuerit gratia divina, ut contemplando legem divinam, eiusque promissiones et poenas, exemplum item *Christi* sanctissimum, rectissima edocti, et de benignitate Dei securi, *bona quaeque et velle et perficere possint*, omninoque exsequi mandata divina; etsi nemo mortalium ab hanc perfectionem assurgat. Impugnatus ab *Hieronymo*, inprimisque *Augustino*, haereseos *damnatus* est *Carthagine* et *Romae* a. CCCCXVIII, postea et ab aliis Conciliis Occidentis. Neque tamen adseclis earuit, quorum doctissimus *Iulianus*, Eclanensis in Campania Episc. a) Verum alii, partem duntaxat *Pelagiani* dogmatis amplexi, statuerunt, posse hominem initia emendatio-

dationis e suis viribus ducere, seque praeparare ad recipiendam gratiam divinam; sine qua tamen nec fidem, nec sanctitatem vitae efficacius praestare possit. Unde *Semi-Pelagiani* dicti sunt: inter quos nobiliores Sec. V. *Cassianus*, *Faustus Rheiensis*, *Vicentius Lirinensis*, *Gennadius Massiliensis*, alii *b*). Hi cum post *Augustinum*, discipulos eius, *Prosperum Aquitanicum*, *Lucidum*, aliosque, nimis subtiliter disputantes adversus *Pelagianos*, cernerent eo delapsos esse, ut *gratiam divinam*, qua carere homines non possent, neque illi resistere, tribui iis dicerent *absoluto Dei decreto*, quo *praedestinati* essent ad salutem aeternam: *Praedestinatianos* eos appellarunt; etsi sectam huius nominis singularem haec aetas non viderit *c*).

a) *Pelagii* expositiones in Epistolas Pauli, inter Opera *Hieronymi*, et *Augustini* editae. *Eiusd.* Libellus fidei ad Innocent. I. inter Opera *Hieronymi*, et in LL. Carolin. L. III. initio. *Eiusd.* Epist. ad Demetriadem virginem, inter eadem Opp. et edita a *Semlero*. *Gennad.* de Script. Eccl. c. 22. 24. *Augustin.* de natura et gratia; de pecc. originis; de gratia Christi contra Pelagium; de gestis Pelagii; aliisque libellis et epistolis. *Hieronym.* Dialog. adv. Pelag. *Marius Mercator* in Commonitorio. *Harduini* Concil. T. I. Acta contra Pelag. et Caelest. in Append. Vinc. Lirin. Cantabr. 1687. 12. *Gerh. Io. Vossii* et *Henr. Norisii* Historiae Pelagianae.

b) *Cassiani* Collat. PP. Sceticor. *Faust.* de gratia Dei et libero arbitrio, in Biblioth. PP. T. VIII. *Prosperi* et *Hilarii* ad Augustinum epistolae, inter eius epistt. 223. 226. *Augustin.* de praedest. sanctorum. *Prosper* contra Collatorem.

c) *Fausti* epist. ad Lucidum, in Canis. Lectt. Tom. I. p. 345 sq. ed. Basnag. *Eiusd.* liber laud. Praedestinatus, a *Sirmondo* editus. *Augustin.* de praedestinatione; de correctione et gratia, cet. apud *Voss.* l. c. p. 572. ed. Amst. 1655. 4. Conf. *Gilb. Mauguini* et aliorum, fuisse haeresin Praedestinatianam negantium, libros. Novam lucem his omnibus Sec. IV et V. litibus, inde ab Ariana, addidit curiosa diligentia *C. G. F. Walchii* in Hist. haeresiolog. Neque negligenda, quae de plerisque observavit *Semlerus* in Excerptis Hist. dogmatum.

§. XIII.

§. XIII.

Aliae haereses minores aut obscuriores.

Sed occupatum tot litibus orbem christianum multae praeterea aliae exercuerunt, quae etsi plerumque leviores fuerint, tamen ingenia christianorum huius aevi, et *sentiendi de rebus* divinis et *ecclesiasticis* vel *imperitiam*, vel *licentiam* in quam incidere, aptissimis coloribus pingunt. *Gnosticorum*, inprimisque *Manichaeorum* dogmata, iam sensim intereuntia, hinc inde in vitam revocata sunt. *Priscillianus* certe, Episc. Hispanus, vir doctus, eloquens, et probis moribus, post a. CCCLXX. non contemnendam partem eorum recepit; sed a. CCCLXXXV. flagitantibus episcopis quibusdam, iubente *Maximo* Imp. capite plexus est cum nonnullis suorum, quod iis foeda crimina tribuerentur. Tum igitur *primum capitali supplicio in haereticos animadversum*; *superfuere* tamen *Priscillianistae* ad Seculum usque VI. *a*). Proximo autem Seculo *Manichaeorum* errores renovarunt in Armenia et vicinis provinciis nonnulli, duce *Paullo* quodam, a quo etiam *Paullicianorum* nomen adepti sunt *b*). Nec ignobiles fuere *Adoptiani* Seculo VIII, *Felix* maxime *Vrgellitanus*, et *Elipandus Toletanus*, Episcopi, qui *Christum, quoad humanam naturam*, iure tantum *adoptionis* filium Dei vocari posse autumabant: contra quos lata sententia est in Concilio Francof. a. DCCXCIV *c*). Verum et *turbae fanaticorum* et indoctorum hominum inter haereticos relatae Seculo IV. ut *Audiani* sive *Audaeani*, in Syria orti, genus *Anthropomorphitarum*, quales omnis aetas christiana habuit, divisi etiam ab Ecclesia morum causa *d*); et *Messaliana* (h. e. Syris ܡܨܠܝܢ̈) Graecis *Εὐχῆται*, in Mesopotamia et finitimis regionibus, qui inter continuas preces, Dei oculis suis videndi facultatem sibi contingere dicebant *e*).

a) *Hie-*

a) *Hieron.* Catal. Scriptt. Eccl. c. 121 sq. *Philastr.* de haeres. c. 84. inprimis *Sulpic. Severus* Hist. Sacr. L. II. c. 46. 51. *Idem* Dialog. III. c. 11—13. *Latin. Pacati* Panegyr. c. 29. Alii.

b) *Photius* L. I. contra Manich. *Euthym. Zigab.* in Panoplia fidei.

c) *Alcuini* liber adversus Felicem, et alia in eius Opp. quae ad hunc locum spectant. *C. G. E. Walchii* Historia Adoptianorum, et Hist. haeres. T. IX. cui iungendus *Frobenius* Princeps et Abbas in Diss. de haeresi Elipandi et Felicis, adiuncta Opp. *Alcuini*, p. 923 sq.

d) *Epiphan.* haer. 70. *Theodoret.* H. E. L. IV. c. 10.

e) *Epiph.* haer. 80. *Theodoret.* l. c c. 11. De *Collyridianis Epiph.* haer. 79. et in Ἀνακεφ. de *Antidicomarianitis*, idem haer. 77. 78. Cum his in neganda perpetua virginitate B. Mariae consensit *Helvidius*, haereseos damnatus ab *Hieronymo*.

§. XIV.

Controversiae et Schismata inter Catholicos.

Multa etiam in *controversiis* eorum inter se Christianorum, qui eadem de summis capitibus religionis sentirent, partim *levitatis*, partim *vehementiae* et *acerbitatis* signa apparuere hac aetate. Certatum est ingentibus, imo saevis animorum motibus, *de doctrina et libris Origenis.* Seculo IV. V. et VI. hinc eum defendentibus, etsi non prorsus purgantibus, *Pamphilo*, *Eusebio Caes. Didymo*, *Gregorio Nyss.*, *Io. Chrysostomo*, *Io. Hierosolym. Io. Rufino*; illinc eum gravissimorum errorum, sed iniquius et infensius postulantibus, *Hieronymo*, *Theophilo Alexandrino*, *Epiphanio*, aliis; tandem *inter haereticos relatus* est decreto Concilii oecumenici VI. a DLIII., quo etiam *anathematismi* in doctrinam eius vibrati sunt a). Nec raro a tenuibus initiis et disceptationibus super *disciplina ecclesiastica*, longae ac turbarum plenae dissensiones ortae sunt. Ita *Meletianum* schisma, natum ex eo, quod *Meletius*, Episc. Aegyptius,

ptius, vel deiectus munere a *Petro* Alexandrino ob delicta quaedam, vel discedens ab eo in causa Lapsorum, iura eius invaserat, ab a. fere CCCVI. vix denique post triginta annos exstinctum est *b*); aliud autem, cuius auctor fuit *Lucifer Calaritanus* in Sardinia Episc. intemperantiori studio dogmatis *Nicaeni* ductus, tollensque communionem cum iis Episcopis, qui *Semiarianismi* suspecti essent, etsi poenitentiam egissent: quod etiam post mortem viri (a. CCCLXXI.) ab amicis propagatum est *c*). Sed maxime diuturnum et infelicissimum fuit *Schisma Donatistarum*, cuius exordia in annum CCCX. incidere videntur. Nam cum *Caecilianum* negarent quidam Carthaginiensem Episc. esse posse, propterea quod a *Traditore* inauguratus esset, eique *Maiorinum*, postea *Donatum*, opposuissent: *secessionem* fecere ab *Ecclesia*, quam *nulla labe infectam esse debere* contendebant; eo tandem progressi, ut etiam *baptisma catholicorum nullius virtutis* esse dicerent. Hinc longe plurimi *Donatistarum* per Africam coetus. *Damnati* saepius et *poenis* quoque adfecti, post *Collationem* demum *Carthaginiensem* a. CCCCXI. sensim dissipati sunt, etsi ante Sec. VII. non prorsus interierunt. Peccatum est ab illis fanatica pertinacia et superbia, qua sibi solis *verae Ecclesiae* nomen vindicabant, neque minus furore et vi armata a *Circumcellionibus*, qui inter eos dicebantur; sed tantumdem fere a Catholicis, qui, duce inprimis *Augustino*, nimium indulserunt violentis adversus eos consiliis *d*).

a) *Pamphili* et *Eusebii* Apolog. pro Origene. *Hieronymi* Epistt. inprimis L. ad Pammachium, et defensio advers. Rufinum. *Rufini* praef. versionis LL. π. ἀρχ. et Apologia. *Epiphan.* haeres. 63 et 64. *Theoph. Alex.* litterae in Opp. Hieron. praesertim edit. Vallars. *Pallad.* de vita Chrysost. *Socrat.* H. E. L. VI. c. 7. 9. 10. 12 sq. *Sozom.* H. E. L. VIII. c. 11 sq. *Liberat.* Breviar. c. 23 sq. *Euagr.* Hist. Eccl. L. IV. c. 37 sq. Canones XV. Concil. V. advers. Origen. in *Baluz.* Collect. nova

va Concilior. p. 1548—1550. E recentioribus *Huetii* Origeniana, et *Walchii* Hist. haeresiol. T. VII.

b) *Athanas*. Apolog. et aliis libellis. *Epiphan*. haer. 68. *Socrat*. H. Eccl. L. I. c. 6. 9. *Sozom*. H. Eccl. L. I. c. 15. 24. L. II. c. 21. De altero Schismate *Meletianorum Antiocheno*.

c) Scripta *Luciferi* collecta illustrarunt *Coleti* fratres. Venet. 1778. f. Conf. *Hieron*. Catal. 95. *Socrat*. H. Eccl. L. III. c. 5. 6. 9. *Sozom*. H. E. L. V. c. 12 sq. *Theodor*. H. E. L. III. c. 4. 5.

d) *Optat*. *Milevitan*. (v. *Hieron*. Catal. c. 110.) de Schismate Donatistarum, ed. Pinian. Antverp. (Amst.) 1702. fol. ubi etiam a p. 143. leguntur Monumenta vetera ad Donat. historiam pertinentia, v. c. Rescripta Principum. Acta Conciliorum, Gesta Collat. Carthag. cet. *Pinii* item et *Balduini* libelli. Conf. *Euseb*. H. E. L. X. c. 5. *Augustin*, Brevic. collat cum Donat. aliique libri et epistt. v. c. ep. C. p. 204 sq. T. II. Opp. in qua *castigari* quidem vult *Donatistas*; non tamen *occidi*. C. Th. L. XVI. t. de haeret. *Witsius* de Schism. Donatist. in Misc. Sacris.

§. XV.

Religionis Christ. cum vita et moribus coniunctio.

Etsi autem pars horum Schismaticorum et Catholici plurimi, in his *Ambrosius* maxime, *veteris disciplinae* severitatem in moribus Christianorum regendis, sed consilio dispari, conservatam vellent; tamen *vigor* eius prope omnis hoc aevo *periit*, aut in *praeposteros usus* translatus est. Succubuit enim sensim poenitentia ecclesiastica *indulgendi* licentiae, eiusque locum *bona*, quae dicebantur, *opera*, eleemosynis, donis in ecclesias et clericos, cet. conspicua, occuparunt a). Ipsis *libris poenitentialibus*, qui nunc conditi sunt, vigor illius imminutus b). *Confessio peccatorum privata* a Sec. V. medio in Romana Ecclesia invaluit c). *Synodi* quidem plures *decretis* suis Chrisianorum, maxime doctorum, vitam moderari

rari conabantur; sed irrito vel propterea eventu, quod *fontes corruptionis* non corrigerent. Nam *vera sanctitatis* et virtutis *christianae* notio fere amissa erat, per *superstitionem* et *monasticam* pietatem. Itaque et multi viri boni ac religiosi morum custodes hac contaminati sunt, et innumeri ex iis doctissimum, qui *Sancti* dicebantur. Estque inter cetera documento, quam frigida fuerit Christianorum inter tot caerimonias nuper repertas pietas, quod omnium sanctissimam, *Coenam Dominicam*, quam rarissime iam repetierint *d*). Certe cum religioni suae, quem desiderabat honorem parum haberent, neque meliores illius beneficio plerique facti sunt *e*). Monendum tamen, plurima verae pietatis documenta memoriae tradita non fuisse.

a) *Socrat.* H. E. L. V. c. 19. *Sozom.* H. E. L. VII. c. 19. et supra §. VI.

b) De *Io. Constantinop.* Libr. Poenit. vid. supra C. II. §. XI. *Theodori Cilicis* Archiep. Cantuar. Sec. VII. Poenitentiale edid. *Iac. Petitus*, Paris. 1679. 4. Conf. *Morin.* de Poenit. L. X. c. 16 sq. p. 518 sq. ed. Venet; etsi aliquanto liberalior est erga horum seculorum lenitatem.

c) *Leo M.* ep. 136. p. 355. T. I. Opp. ed. *Quesn.* coll. *Dallaeo* de sacramentali sive auriculari Latinor. confessione.

d) Conf. *Chrysost.* Homil. III. de Incompreh. p. 469. T. I. Opp. ed. Montef. et Can. 18. Synod. Agathens. a. 506. apud *Harduin.* Conc. T. II.

e) Christ. ecclesiam sub Principp. Christ. virtutibus minorem factam esse, fatetur *Hieron.* in vita Malchi, p. 91. Opp. T. IV. P. II. ed. Bened.

TABV-

TABVLA CHRONOLOGICA
PERIODI SECVNDAE.

Epochae illius et vicissitudines nobiliores.

I. *Constantinus* et *Eusebius*. *Religio Christ. regnans* in Imp. Ro. *Litterae florentes* apud Christianos. *Superstitionis* origo. *Monachi*. *Donatistae*. *Arius*. *Concilia Oecumenica*. *Symbolum Nicaenum*. *Ab a. CCCVI—CCCCXX.*

II. *Augustinus* et *Pelagius*. *Subtiles* de religione disputandi *formae*. et *Systematis theolog.* apud *Latinos* fundamenta iacta. *Vis* et *turbae* in controversiis theologicis. *Nestorius*. Incrementa *dominationis Episcopp. Ro.* *Barbaries et stupor* superstitioni iunctae. Ab a. CCCC—DC.

III. *Gregorius* M. et *Damascenus*. *Monachorum* et *rituum* imperium in Ecclesia. *Purgatorium*. *Invocatio Sanctorum*. *Missae* privatae. Lites *iconolatricae*. Initia *potestatis civilis Episcopor. Romanor.* *Systema theologicum* apud *Graecos*. Ab a. DC—DCCC.

A. C.	
306	*Constantinus* Aug. *Galerius*, *Severus Maxentius*, *Maximianus*, Schisma *Meletianum* in Aegypto. *Persecut. Dioclet.* progressus. *Vopiscus*. *Eumenius*.
307	*Mors Severi*. *Licinius* et *Maximinus* Aug.
309	*Pamphili* martyrium.
310	*Maximiani* mors. Schisma *Donatistarum*.
311	*Galerius* ante *mortem vexationem Christianor.* tollit. *Constantinus* christ. religionis studium prodit.
312	*Maxentius* victus moritur. *Leges Constant.* et *Licinii* hoc et sequenti anno Christianis amicae. Prima *Indictio*.

axi-

A. C.	
313	*Maximi* et *Diocletiani* mors.
314	Concilium *Arelatense* in caussa *Donatist.* *Silvester*, Episc. Ro. *Euseb.* Caesar. Episc.
320	*Ariana* haeresis, aliquanto prius orta. *Lactantius. Lampridius.*
321	Lex *Constantini* de *testamentis* in commoda *Ecclesiae* faciendis.
323	*Licinius* victus et *captus* a *Constantino*, qui iam solus imperat.
325	*Concilium Nicaenum* I. *Arius* damnatus. De *Paschate* decretum. *Eusebius* Nicomed.
426	*Helena. Athanasius*, Ep. Alexandr. Mors *Crispi Martyrium* Hierosolym.
330	*Constantinopolis* dedicata. *Iamblichus. Capitolinus. Iuvencus.* Christiani in *Persia.*
335	*Concilium Tyri. Silvester*, Episc. Ro. mor.
336	*Arii* mors. *Iulius*, Ep. Ro. *Marcellus* Ancyr. Ep. munere deiectus.
337	Baptismus et mors *Constantini* M. Filii, *Constantinus*, *Constantius* et *Constans*, succedunt.
340	*Constantini* iun. *Eusebii* Caesar. et *Paulli* Erem. mors. *Pachomius* floret.
341	Concilium *Antiochenum. Eusebius* Emis. *Iulius Firmicus Maternus. Sapor*, Rex Persar. *Christianos* vexat.
347	Synodus *Sardicensis* hoc fere tempore.
350	*Constans* Imp. occisus. *Festus. Donatus. Cyrillus* Hieros.
351	Synodus *Sirmiensis* I. in caussa *Photini.*
352	*Liberius*, Episc. Ro.
356	*Antonius*, parens *Monasticae* vitae, mor.
357	Concil. *Sirmiense* secundum, eiusque formula *Ariana.*
359	Concil. *Ariminense. Arianum* dogma hinc dominatur. *Reliquiae* SS. in *Ecclesiam* Cpolit. translatae.

Euse-

A. C.	
360	*Eusebius* Emisenus moritur, et eodem fere tempore *Eustathius* Antioch. *Eunomius*. Synodi *Laodic.* et *Gangren.* circa haec tempora.
361	*Constantius* moritur; succedit *Iulianus*. *Marius Victorinus*, *Apollinaris*, *Maximus*, et *Libanius* florent.
363	*Iuliani* mors. *Iovianus* Imp. *Ammianus. Marcellinus.*
364	Post *Iovianum*, *Valentinianus I.* cum fratre *Valente* imperat; hic *Arianis* favet; ille *Catholicis*.
366	Mors *Liberii*, Episc. Ro. Caedes in electione *Damasi*.
367	*Gratianus* Aug.
368	*Hilarius* Pictav. obit. *Eutropius*.
371	Mors *Luciferi* Calar. *Basilius* Episc. Caesar.
373	Hoc anno vel superiori mor. *Athanasius* Alex.
374	*Ambrosius* Mediol. Episc.
375	*Valentinianus I.* Imp. obit. *Valentin. II.* Imp. *Vlphilas* Episc. *Martinus*, Episc. Turon.
378	*Valentis* Imp. caedes. *Ephraemi* Syri mors.
379	*Theodosius* Imp. *Basilius* M. moritur. *Ausonius. Aurelius Victor. Vegetius.*
380	Concil. *Caesaraugust.* adversus *Priscillianistas*.
381	Concil. *Constantinop.* I. *Macedonius* damnatus.
383	*Gratianus* occiditur. *Hieronymus* contra *Helvidium* disputat.
384	*Damasus* Episc. Ro. moritur. *Siricius* succedit. *Didymus* Alex. Eius discipulus *Hieronymus*. *Symmachus*, Praef. Urbi. *Priscillianus* supplicio adfectus.
385	*Siricii*, Episc. Ro. pro *coelibatu Clericorum* lex.

Cyril-

e. Attilae clades in

Maximus succedit.
est.
m *Leo* sequitur.
moritur.
cus. *Semipelagiani. Stu-*
ae.
lisp. moritur.
ella. Claudianus Mamertus
zic.
mors. 475
Ro. Occident. *Odoacer* Rex

s Rex. Vand. moritur. *Hunericus*
it. *Persecutio Vandal.*
us. Faustus Rheiensis. *Praedesti-*
ani.
nticum Zenonis. *Petrus Fullo* Antioch.
eopaschitae. Petrus Moggus. Alex.
cephali.
oclus eclecticus. *Sidonius* Apollin. *Vi-*
ctor Vitensis.
Clodovaei Franci in Gallia regnum.
Mors *Zenonis.* Imp. *Anastasius* succedit.
Galasius I. Episc. Ro.
Theodoricus Ostrogoth. regnat, in Italia.
Patricius Hibern. Apost. moritur *Gennadius* Massil.
6 *Clodovaeus* baptizatur. *Gelasius I.* Ep. Ro. moritur.
98 *Symmachi* et *Laurentii* schisma. *Stephanus* Byzant. *Stobaeus.*
02 Synodus *Palmaris.*
06 Synodus *Agathensis.*
06 Mors S. *Genovefae.*
14 R. *Iose* moritur *Isimad* [illegible]
18 *Anastasio* Imp. succedit *Iustinus.*

I. [illegible]

A. C.

519 *Aphthartodocetae. Phthartolatrae. Agnoëtae.*

521 *Ennodius* Ticinens. Ep. decedit. Lis de *uno e Trinitate passo.*

523 *Homeritae Christiani.*

525 Mors *Aviti* Viennens. et eodem aut proximo anno *Boëthii. Theodorus* Lector. *Procopius Gazaeus. Priscianus.*

527 *Iustini* successor *Iustinianus. Dionysius* Exig. *aerae Christ.* conditor.

529 Coenobij in *Monte Casinensi* initia. *Benedictus* Nursinus. Ordo *Benedictinus.*

533 *Fulgentii* Rusp. mors.

534 *Vandalici* regni in Africa finis. *Belisarius. Burgund.* regnum a *Francis* occupatum. *Theophilus* IC. *Zacharias* Mitylen. *Epiphanius* Scholast.

539 *Cassiodorus* secedit in monasterium.

541 Annus *aerae Consul.* ultimus.

542 *Caesarii* Arelatens. mors.

543 *Benedictus* Nursin. moritur.

546 *Triboniani* mors. *Corpus Iuris* Civ. *Cosmas* Indicopleustes. *Fulgentius* Ferrandus. *Simplicius.* Lis de *tribus Capitulis. Vigilius* Episc. Ro.

550 *Iornandes. Olympiodorus. Facundus* Hermian. *Arator.*

553 Regni *Gothici* in Italia finis. *Narses. Concilium Constantinop.* oecumen. ubi *Origenes* dicitur damnatus. *Vigilii* Judicatum.

555 Mors *Vigilii.*

560 *Procopius. Alexander* Trall. *Liberatus* Carthag.

563 Concil. *Braccarense* mortuos in aedibus sacris sepeliri vetat.

564 *Venantius* Fortunatus.

565 Mors *Iustiniani* Imp. Succedit *Iustinus II.*

Lon-

A. C.

568 *Longobardorum* in Italiam transitus.

578 *Tiberius* Imp. *Pelagius II.* Ep. Ro. *Iacobus* Baradaeus, Ep. Edess.

580 *Martini* Braccar. mors.

582 *Mauritius* Imp. *Iohannes Ieiunator*, Patriarcha Constantinopol. Lis de nomine *Episc. oecumen.*

589 *Reccaredus* Visigoth. Rex fidem cathol. amplectitur.

590 *Gregorius* M. Episc. Ro.

592 *Iohannes Ascunages*, auctor *Tritheismi.*

594 *Agathias* et *Euagrius*, Scholastici.

595 Mors *Io. Ieiunat.* et *Gregorii Turon.* Episc. *Cyriacus*, Patr. Constantinop.

596 *Augustinus* in Britanniam missus.

597 *Ethelbertus* Rex Cantii sensim ad *Christi sacra* accedit.

602 *Mauritius* interemtus. *Phocas.*

604 *Gregorius* M. e vita migrat.

606 *Io. Climacus* moritur. *Io Moschus.*

607 *Bonifacius* III. Episc. Ro.

608 *Pantheon* Romae templum OO. Sanctor.

610 *Heraclius Imp.*

614 *Hierosolyma* a *Persis* occupata.

615 *Columbani* obitus. Eius discipulus, S. *Gallus.*

622 *Muhammedis* fuga. *Hedschrae* initium a. d. XVI. Iulii. Controversia *Monotheletica.*

629 *Theophilactus* Simocatta. Festum *Exaltat. Crucis*; fortasse et antiquius.

632 Mors *Muhammedis. Abubeker* Chalipha.

634 *Omar* Chalipha.

636 Mors *Isidori Hispalensis* Ep.

637 *Hierosolyma* a *Saracenis* expugnata. Mors *Sophronii*, Episc. Hieros.

638 Heraclii *Ecthesis*. Mors *Honorii* Ep. Rom. fautoris Monothel.

A. C.	
640	*Io. Philoponus. Tritheitae. Aegyptus Saracenorum.*
641	*Heraclius* Imp. moritur. Post alios *Constans* succedit.
648	*Typus* Constantis.
650	*Marculfus. Fredegarius.*
651	Mors *Iezdegerdis*, ultimi Regis Persarum.
652	S. *Emmeramus* martyr.
655	*Martinus* Episc. Ro. in exilio mor.
660	*Ali* Chalipha occisus.
662	*Maximi Confessoris* mors.
667	*Ildefonsus* Tolet. obit.
668	*Constantis* successor *Constantinus Pogonatus*.
676	*Maronitae.*
680	*Concilium Constantinopol.* s. VI. oecumen. *Monotheletae* cum *Honorio* Episc. Ro. damnati. *Anastasius* Sinaita. *Aera Christ.* in Anglia.
685	*Constantini* successor, *Iustinianus II.*
686	S. *Kilianus* ex Hibernia *Herbipolin* venit.
687	*Pipinus* Heristallus dominus Monarch. *Francicae.*
690	*Theodorus* Archiep. Cantuar. mor.
691	Concilium *Quini-Sextum.*
696	*Willibrordus* Vltraiecti. *Cresconius*, canonum collector.
709	*Aldhelmus* moritur.
711	*Saraceni Hispania* potiuntur. *Pelagius. Pedum deosculatio* tributa *Constantino* Ep. Ro.
712	*Philippici Bardanis* Imp. lex. *Constantinus* Ep. Ro.
714	*Carolus Martellus*, Dux Francorum.
715	*Gregorius II.* Ep. Ro.
718	*Bonifacius* Romae. *Rudbertus*, Ep. Salisb. moritur.

Bo-

A. C.	
723	*Bonifacius* in *Hassia* et *Thuringia* Euangelium commendat.
726	*Leonis* Isaur. edictum de tollendis imaginibus. *Grogorius* II. Episc. Ro. se opponit *Leoni*.
732	*Saraceni* ad Pictavium victi.
735	*Beda Venerabilis* obit.
739	S. *Willibrordus* moritur. *Bonifacius* in Bavaria *Episcopatus* constituit.
741	*Constant. Copronymus* Imp. Mors *Caroli Martelli* et *Gregorii* III. Episc. Ro. *Zacharias* Ep. Ro. Episcopat. *Eichstet* et alii a *Bonifacio* conditi.
744	Abbatia *Fuldensis*.
748	*Clemens* et *Adelbertus* haeretici damnati.
752	*Pipinus*, Rex Francorum. *Stephanus* III. Episc. Ro.
754	*Concil. Constantinopolitanum* oecumen.
755	S. *Bonofacius*, German. Apostolus, occisus. *Io. Damascenus*, hoc, aut proximis annis, obit. Primordia *dominationis civilis* Episcopp. Ro. *Stephanus* III. Ep. Ro. *Chrodegangus*. Episc. Metens. parens *Canonicorum* recentiorum.
768	*Pipinus* moritur, *Carolus* et *Carolomannus* in Francia regnant.
771	*Carolomanni* mors.
772	*Caroli* bellum *Saxonicum*. *Adrianus* I. Ep. Ro.
774	Finis regni *Langobardici*.
775	*Leo IV*. Imp. Cpolit.
780	*Leonis IV*. mors. *Iconolatria* in Imp. Byz. auctoritatem recuperat. *Episcopatus* in *Saxonia* forte ab hoc inde anno.
782	*Alcuinus* in Francia.
785	*Witekindus*, Dux Saxonum, baptizatus.
786	*Harum al Raschid* Chalipha.

Con-

A. C.	
787	Concilium *Nicaenum II.* oecumenicum.
794	Concilium *Francofurtanum. Adoptiani. Elipandus* Tolet. *Felix* Urgellit.
795	*Leo III.* Ep. Ro. *Theodorus* Studita.
796	Urbs *Romana sacramento fidelitatis* obstringitur *Carolo* Regi.
797	*Irene* imperium occupat *Constantinopoli.*
799	*Paullus* Diac. hoc anno, vel proxime antecedd. moritur.
800	*Carolus Imperium* Ro. *Occid.* restaurat.

PERIODVS TERTIA
HISTORIAE
RELIGIONIS ET ECCLESIAE CHRISTIANAE
A CAROLO M. AD LVTHERVM.
H. E.
AB A. C. DCCC. AD A. MDXX.

CAPVT I.

Historia propagatae publicae professionis Religionis Christianae.

§. I.

Status orbis hoc aevo.

Carolus quidem, Francorum Rex, qui a rebus in utraque republica feliciter gestis *Magnus* dictus est restituto a. DCCC. et translato *ad Francos Romanorum Imperio Occidentali*, superfuit ad annum usque DCCCXIV. *regnum Francicum* longe *florentissimum* et potentissimum relinquens. Sed cum successores e posteris eius, nec pari prudentia in administrando imperio gauderent, et humili nimis ingenio a consiliis Cleri penderent, ip-

sique inter se discordes viverent: concidit gloria regni eorum, a *Normannis* ad incitas fere redacti. Itaque, abstractis ab eo provinciis plurimis, *Germanicum* seu *Franciae orientalis regnum* ortum est a. DCCCXLIII. cum quo *Italicum* et *Imperium Romanum* coniunxit *Otto M.* ab a. DCCCCLX, tenueruntque illud hoc aevo, post *Carolingos*, Duces *Saxonici*, *Franconici*, *Suevici*, et post alias gentes illustres Germaniae, *Habsburgo - Austriaci* a). Iam praeter antiquiora *Francogallorum*, *Anglosaxonum*, *Danorum*, *Suecorum*, et *Norvegiorum* regna, nata sunt hac aetate *Hispaniae* et *Lusitaniae* ex veteri Visigothico, *Ungariae*, utriusque *Siciliae*, *Poloniae* et *Russiae* nova regna atque imperia b). *Orientale* autem, seu *Byzantinum*, postquam per plura secula Principum et civium suorum imprudentia, hostium vero multorum insultu misere iactatum et dilaniatum fuerat, tandem Turcorum potentiae succubuit a. MCCCCLIII c). Nam *Saracenorum* quidem *Chaliphatus*, Byzantinis diu terribilis, destructus est a *Mogolis* a. MCCLVIII. Verum *Turci*, qui inter haec Arabum vires fregerant, ab a. MCCC. novi Imperii, mox per tres orbis partes propagandi fundamenta iecerunt, auctore *Osmano* seu *Othomano* d). Invento denique a. MCCCCXCII. novo orbe, cui *Americae* nomen inditum est, navigationisque, mercaturae, et artium novis augmentis in veteri, factum est, ut sub exitum huius periodi, amplissima rerum gerendarum scena, parum adhuc Europaeis tractata, pateret e).

a) Post Script. Hist. Francicae supra Per. II. C. I. §. I. not. c. laudatos, alii, qui de rebus Imp. Germ. scripserunt, in *Schardii*, *Pistorii*, *Reuberi*, *Urstisii*, *Freheri*, *Lindenborgii*, *Schilleri*, *Meibomii*, *Leibnitii* et aliorum Script. Rer. Germanicarum; Italicarum autem in *Muratorii* Collectione. E recentioribus *Io. Iac. Mascovius* in Commentariis de rebus Imp. Ro. Germ. a Conr. I. ad Conr. III. *B. G. Struvius* in Corpore Hist. Germ. M. I. *Schmidius* in Historia Germanorum, germanice scripta, aliique plures.

b) Regnorum origines, eorumque et populorum conversiones praecipuas, accurate inprimis annotarunt *Dion. Petavius* in Rationario temporum, *Leon. Offerhaus* in Compendio Hist. univers. et *Gattererus* in breviariis eiusdem historiae germanice scriptis.

c) Script. Byzantini, *Nicephorus*, *Constantinus Porphyrog.* aliique plurimi, usque ad *Laonic. Chalcocondylam* et *Phranzam*.

d) *Abulfeda*, *Elmacinus*, aliique Arabici Scriptt. Historici item *Byzantini*. E recentioribus *Leunclavii* Annales Turcici, aliaque opera, *Deguinii* Hist. Hunnorum, cet. germanice reddita, *Ockleii* et *Cardonnii* Hist. Arabum et *Guthrii* cathol. orbis historia, germanice versa, T. VI. et VII. cum annot. *Reiskii* et *Heynii*.

e) v. Novus orbis regionum ac insularum veteribus incognitarum, Basil. 1532. fol. *Ant. de Solis* et *Garcil. de la Vega* Hist. Mexic. et Peruv. E *Tozii* libellus germanicus de Columbo. *Robertsoni* Hist. Americae, ex Anglo germanice reddita. Alii.

§. II.

Litterarum item et artium liberalium.

Bonis etiam *litteris nova* et saluberrima *lux* extremo hoc aevo affulsit. *Foverat eas* perquam liberaliter in regno Francico *Carolus M.* et non contemnendum iis *decus* paraverat, *per seculum fere duraturum*. Sed abstulere istud Principum socordia, vis ingens superstitionis, et Cleri libido dominandi; partim etiam temporum infelicitas. Neque vel Principum quorundam egregiis studiis, ut *Constantini Porphyrogeniti*, *Alfredi* et *Friderici II.*, vel eminentibus subinde *praeclaris ingeniis*, restitui verae doctrinae honores potuere a). *Scriptores* quidem innumeros protulere populi christiani; sed *viros doctos* longe paucissimos. *Historici* tamen non prorsus spernendi plures prodierunt b). Quamvis autem a Seculo XI. *philosophaturi liberius et acutius* videbantur Christiani per *Occidentem*; tamen et vera libertas eos destituit,

tuit, et reliqua doctrina; pleraque etiam subtilius quam utilius effinxerunt c). Interea tamen *Arabes* a Seculo IX. d), et *Iudaei* a Seculo XI. e), non malé de partibus quibusdam melioris doctrinae meruerunt. Tandem post natas Sec. XIII. *Universitates*, seu *Studia* litterarum *universalia*, quae doctrinae a pluribus colendae nonnihil profuerunt f), per *profugos* ex Imperio Byzantino *Graecos*, inde ab exordia Seculi XV., Italia primum, mox et aliae regiones occidentis, *meliorum litterarum et eruditae antiquitatis amore* adeo imbutae imo accensae sunt, ut abiiciendae pristinae barbarici studio pars magna flagraret g). Accessit ad annum fere MCCCCXL. praestantissimum *chalcographiae* inventum, quod regnanti tam diu optimorum librorum penuriae et caritati cito et opportune succurrit h).

a) v. supra Per. II. C. I. § 2. not. b. conf. *Caes. Egass. Bulaei* Hist. Acad. Paris. Tom. I. Historia litter. Franciae. gallice scripta, Tomo IV. sq. *Fabricii* Biblioth. Graeca et Lat. med. et inf. aetatis. Alii.

b) In Historicis praestantioribus fuere, praeter Byzantinos quosdam, ut *Constantinum Porphyrog. Cinnamum, Annam Comnenam, Nicephorum Gregoram, Io. Cantacuzenum*, alios, Latini; *Eginhardus, Regino, Luitprandus, Hermannus Contr. Lambertus Schaffnab. Sigbertus, Gemblac. Otto Frisingensis, Saxo Grammaticus, Matthaeus Paris*, alii.

c) *Bruckeri* Hist. Crit. Philos. Tom. III.

d) *Pocokii* Specim. Hist. Arab. *Herbeloti* Bibliotheca Orient. gallice scripta. *Brucker*, l. c. De *Avicenna* et *Averroë*.

e) *Basnagii* Hist. Iudaeorum. *Wolfii* Biblioth. Ebraea. *Brucker*. l. c. T. II. De *Aben Esra, Beniam. Tudel. Salom. Isaacide*, qui vulgo *Raschi, Mose Maimonide, Mose* et *Davide Kimchiis, Abarbanele*, aliis.

f) *Conringii* Antiqq. Academ. *Bulaeus* libro laud.

g) *Chr. Fr. Boerner* de doctis hominibus graecis, litterarum graecarum in Italia instauratoribus. De *Man. Chrysolora, Bessarione, Gaza, Plethone, Trapezuntio*, aliis.

h)

h) *Io. Dav. Schoepflini* Vindiciae typographica. *Ger. Meermani* Origg. typogr.

§. III.

Religio Christiana suscepta a paganis gentibus.

Haec cum esset orbis facies, *a christiana* quoque *religione* multae memorabiles in eum profectae sunt *mutationes*. *Plurimis* certe *populis* nunc ea demum vel *cognita* est vel *probata*, eademque opera statim *feritas eorum emollita*. Quos inter primi post *Saxones* a), qui septentrionem Europae colebant, communi *Normannorum* nomine insignes, mox a regnis suis, *Sueci*, *Dani* et *Norvegi* appellati, elementa huius religionis acceperunt ab *Ansgario* monacho Corbeiae Saxonicae, qui ab anno DCCCXXVI. felicem iis erudiendis operam impendit, mortuus a. DCCCLXV. Archiepiscopus Hamburgensis. Sed *decimo* demum *Seculo* exeunte hae gentes constantius sacra christiana secutae sunt, a quibus mox in *Islandiam* et *Grönlandiam* transierunt b). *Normanni* etiam, qui Franciae partem occupaverunt, duce *Rollone*, sub initia Seculi X. eadem sacra receperunt c). Inprimis autem *Slavicae* gentes complures persuaderi sibi passae sunt Seculo IX. et sequentibus, ut *Christo* nomen darent: in his *Bohemi*, *Moravi*, *Bulgari*, *Russi* seu *Rutheni*, *Poloni*, *Sorbi* seu *Serbi*, *Venedi*, aliique d); a quibus tamen *conversionibus*, quas vocant, vis et arma, certe leges et poenae, non semper abfuere. Non dissimili ratione *Ungaros* suos *Stephanus* Rex, extremo *seculo decimo*, in Ecclesiam *Christi* deduxit e). Ita *Livones* quoque sub finem Seculi XII. armis *Ensiferorum* maxime *Equitum* eodem cumpulsi sunt f). *Prussos* a medio Seculi XIII. *Teutonici Equites* sensim debellatos, Christianos esse coegerunt g).

Ut

Ultima fere ethnicarum gentium in Europa, *Lithuani*, *Iagelloni*, Duci suo, mox Regi Poloniae, crediderunt, ab a. MCCCLXXXVI. religionem veterem sibi abiiciendam esse *h*).

a) Conf. dicta Per. II. C. I. §. 6. not. *k.* inprimis Annal. Sax. ad. a. 804.

b) S. *Anscharii* Vita gemina, ed. a. *Claud. Arrhenio.* Holm. 1676. 4. *Adam. Brem.* Hist. Eccl. L. I. c. 15. sq. L. II. c. 2. 3. 15. 26 sq. in *Lindenborg.* Scriptt. Rer. German. septentrion. *Thorm. Torsaei* Hist. rerum Norvegicar. P. II. L. IV. Alii.

c) Fragm. Hist. Franc. p. 338 sq. in *Quercet.* Scriptt. Rer. Franc. T. III.

d) *Const. Porphyrog.* in vita Basilii Maced. et de administr. imperio, et eiusd. Continuator. L. IV. c. 13. *Nestoris* Annales Russici, ab a. 858 — 1203. germanredditi a *Io. Bened. Scherero*, Lips. 1774. 4. *Cedreni* Annales. *Witichindus* in Annal. *Ditmarus* in Chron. Merseb. et *Helmoldus* in Chron. Slavorum. *Ioseph. Simon. Assemani* Kalendaria Eccl. universae, T. III. et *Gebhardi* Hist. regnor. Venedo-Slavicor. germ. scripta. De Episcopatibus ab Ottone M. conditis.

e) *Ademari* Fragm. apud *Canis.* Lectt. ant. T. III. p. 67. ed. Basnag. *Ditmar.* in Chron. *Herm. Contr.* Chron. ad a. 995. *Chartuitii* Vita S. Stephani, alii; cum quibus tamen conferendus *Gabr. de iuxta Hernad.* (*Godofr. Schwarzii*) libellus: Initia christ. relig. inter Hungaros Ecclea. Orientali adserta, Francof. 1740. 4.

f) Origines Livoniae. sive Chronicon vetus Livonicum, a *Io. Dan. Grubero* a. 1740. fol. editum et illustratum. Idem cum annott. *I. G. Arndtii* germ.

g) *Petri de Dusburg* Chronicon Prussiae, ed. et illustratum a *Christoph. Hartknochio*, Ienae 1679. 4. inprimis Diss. XIV.

h) *Dlugossi* Hist. Pol. L. II. p. 91. *Ditmar.* Chron L. IV. p. 359. in *Leibnit.* Scriptt. Brunsv. V. I.

§. IV.

Pro eadem pugnatum Expeditionibus cruciatis.

Pari animo *Iudaeos*, omni prope hoc aevo, atro-

atrocissimis oneratos accusationibus, *vexarunt Christiani*, ut eos ad sacra sua pertraherent; etsi ab illis quoque nonnumquam peccatum fuerit. Rarior ergo transitus eorum in Ecclesiam christianam fuit, aut metu expressus [a]. Sed inprimis honori et libertati religionis suae *in Palaestina et vicinis provinciis* consulturi Christiani Occidentales, ingenti collecto agmine ab a. inde MXCVI. *Saracenos* et *Turcas*, earum dominos, aggressi sunt. Cuius expeditionis milites omnes *cruce signabant* vestes suas, pro cruce *Christi* dimicaturi, et veniam peccatorum a Deo propter hanc piam fortitudinem exspectabant. Primum quidem huius belli fructum hunc ceperunt, ut non contemnenda *pars Asiae*, ipsaque a. MXCIX. *Hierosolyma*, mox sedes regni Christiani futura, in eorum potestatem venirent. Verum idem bellum, *cupide* potius et *incitante pietate*, quam ad *leges iustitiae et artis militaris*, susceptum atque gestum, non modo repetitum saepius et continuatum a *Francogallis*, *Germanis*, *Anglis*, aliisque populis Europaeis, *irritum et vanum* fuit, post duo secula a primordiis suis; sed etiam *multis malis* civilem pariter et ecclestiasticum christianorum statum adfecit [b]. Donavit tamen Europam perpetuo et fortiori milite, qui semper pro religionis christianae securitate et incrementis, praesertim in Oriente, decertare paratus esset: ortis nimirum per hanc occasionem *Ordinibus Equestribus*, atque inter hos primum *Equitum S. Iohannis Hierosolymitani*, sub initia Sec. XII. qui nunc *Melitenses* dicuntur [c]; — deinde *Templariorum* ab anno MCXVIII. quos *Philippus Pulcher* Franciae Rex, et *Clemens V.* Pontifex Ro. ineunte Sec. XIV. horrendorum criminum accusatos exstinxere [d]; — denique *Tentonicorum S. Mariae Hierosolymitanae*, ab a. MCXC. qui postea Prussia alisque vicinis provinciis potiti sunt, sed iis amissis, in Germania sedem fortunarum collocarunt [e]).
Prae-

Praeterea haud pauca alia commoda inde redundarunt.

a) *Agobard.* de insolentia Iudaeorum, et de baptismo Iudaicorum mancipiorum. *Matth. Paris* in hist. maiore, locis plurimis. *Basnagii* Hist. Iudaeorum. Redire tamen ad sacra patria Iudaeis per vim baptizatis concessit *Henricus IV.* Imp. v. *Trithem.* in Annalib. Hirsaug. ad a. 1097. T. I. p. 312.

b) v. Acta *Concilii Placentini* a. 1095. et *Claromontani* a. 1096. apud *Harduin.* Conc. T. VI. P. II. et Scriptt. apud *Bongarsium* in Gestis Dei per Francos, inter quos eminet *Guil. Tyrius.* Adde alios apud *Quercet.* in Scriptt. Rer. Francic. T. IV. et *Bened. de Accoltis* Bellum a Christianis contra barbaros gestum; itemque *Otton. Fris.* de gestis Frid. I. *Matth. Paris.* l. c. aliosque e Latinis. E Graecis *Annam Comnenam* in Alexiade; ex Arabibus *Bohaddini* vitam *Saladini* a *Schultensio* editam.

c) *Guil. Tyr.* Hist. belli sacri, L. XVIII. c. 4. *Iac. de Vitriaco* Hist. orient. et occid. c. 63. *Vertoti* historia Ordinis francogallica.

d) *Guil. Tyr.* l. c. L. XII. c. 7. *Iac. de Vitr.* l. c. c. 65. *Matth. Paris.* l. c. ad a. 1118. p. 64. ed. Tur. et pluribus locis. De Concilio *Viennensi* a. 1311. v. *Harduini* Conc. Tom. VII. *Pet. Puteani* Hist. Templariorum, gallice scripta.

e) *Iac. de Vitr.* l. c. c. 68. *Petr. de Dusburg.* Chronic. Prussiae, et ad eum *Hartknoch.* Diss. XIX. *Raym. Duellii* Hist. Ordinis Teuton. — Historiam bellorum cruciatorum prae ceteris bene illustravit *Frid. Wilken.*

§. V.

Fata illius reliqua in Oriente. In Hispania rursus regnat.

Iam cum Seculo XIII. *Tatari* vel potius *Mungali*, post Asiam vastatam, etiam plurimas *Christianorum Europaeorum provincias* crudelissime depopularentur: hi ab hoc tempore tanto magis operam dederunt, (quod iam olim prospero successu tentaverant *Nestoriani*, quorum *Presbyter* Io-

Iohannes a) Seculo XII. celebratur in Tataria maiore,) ut feris hostibus illis studium cognoscendae et amplectendae religionis christianae instillarent. Quod etiam adeo ex voto accidit, ut e *Tataria in Sinum* usque Seculo XIII. et XIV. fides Christi propagaretur b). Sed *Turcarum*, maxime *Othomanidorum*, progressus a Seculo XIV. exitiales fuere rei Christianae in Asia et Europa. A quibus cum medio Seculo XV. *Imperium Constantinopolitanum deletum* esset, adeo sensit hanc calamitatem *Graeca Ecclesia*, ut ab eo tempore, in Oriente certe, et Turcia Europaea, vix umbram aliquam pristini splendoris retineret c). Felicior in eo *Ferdinandus*, Arragoniae, deinde et Castiliae, denique omnis Hispaniae Rex, fuit, quod exstincto *Granadensi* Muhammedanorum regno, a. MCCCCXCII, universam Hispaniam christiani iuris fecit: quae felicitas, *Iudaeorum* item e regno suo expulsio, et *saeviens* in alienos a christiano ritu homines *zelus*, *Catholici* nomen et honorem apud Pontiff. Ro. ei ac successoribus eius procurarunt d).

a) *Marc. Paul. Venet.* de regg. Orient. L. I. c. 38 sq. L. II. c. 39. *Assemani* Biblioth. Orient. T. III. P. II. *Moshemii* Historia Tataror. Ecclesiast.

b) *Abulgazi* Hist. Tatarorum, et Scriptt. Hist. *Gengiskani. Deguinii* Historia Hunnorum, Turcarum, Mungalorum, etc. inprimisque *Moshem.* l. c. p. 43 sq. nostrisque temporibus *de Hammer.*

c) v. *Ducae*, *Chalcocondylae* et *Phranzae*. Byzantinor. historias. *Gennadii* s. *Georgii Scholarii*, Patriarch. Constantinopol. Confessio ad Muhammedem Imp.

e) *Marianae* et *Ferrerae* Hist. Hispanica huius temporis; et qui de vita *Ximenii* Cardinalis scripserunt.

§. VI.

In Americam denique translata.

Eiusdem auspiciis postquam a. MCCCCXCII. *novus orbis* inventus esset a *Columbo*, mox *Americae*

ricae nomen sortitus, occupandi illius inter alias caussas hanc quoque praetexuit *Ferdinandus*, gentes Americanas *foeda idololatria* liberandas esse, et ab inhumana *ἀνθρωποθυσίᾳ*. Pontifex etiam Romanus *Alexander* VI. Hispanos et Lusitanos inventas Americae regiones ex decreto suo partiri iussit. Sed *christiana religio*, quam persuadere conabantur Americanis, nunquam forte ante haec tempora illius notitia imbutis, Hispani, non modo *humanae superstitioni* quam simillima erat; sed etiam *armis*, *tormentis* et *suppliciis imperabatur* miseris. Itaque licet ea *recipienda* denique *plerisque* illorum esset; tamen nec amorem sui excitare potuit, et documento fuit, quam parum nota iam iis ipsis esset, qui Christiani vocarentur *).

*) Praeter eos, qui ad §. I. not. e. laudati sunt, *Barthol. Casae*, (de las Casas) Relatio de destructione Indiarum, Heidelb. 1664. 4. et germanice, Francof. 1665. 4. c. imagg.

CAPVT II.

Historia Doctorum Religionis et Ecclesiae Christianae.

§. I.

Doctorum christianorum nova conditio, potentia et consilia.

Gesta sunt haec omnia, quae imperio religionis christianae in homines amplificando idonea videbantur, *auctoritate et consilio doctorum* illius. Quorum pars maxima hoc aevo *potestatem* a maioribus *traditam* stabilire et *augere*, eademque perfrui certi, hoc perpetuo curarunt, ut omnia inter Christianos ad nutum suum agerentur; refractarii autem coërcerentur legibus et poenis. In quo adiuvabantur partim *superstitiosa* et *coeca* erga

ga se veneratione, Christianorum animis dudum impressa, nunc autem cum *barbarie*, quae *Laicos* premebat, etiam longius progressa; partim *facilitate et imperitia Principum*, qui Clericorum opera etiam in acquirendis regnis, gubernanda republica, foederibus nectendis, bellis gerendis, cet. utebantur, *in ditandis* autem *illis modum omnem supergressi*, sibi ipsis nimium feroces et potentes hostes parabant. Itaque etiam *plerique* horum doctorum *in Ecclesia Occidentis*, et maxime monachi, *contemtis Principibus* suis, adversus hos ipsos summo studio et obsequio *adhaerebant Episcopis Romanis*. *Episcopi* autem et *Abbates* permulti, cum *Principes*, *Duces*, *Comites*, amplissimaeque ditionis domini facti essent, tanto magis eorum, a quibus his beneficiis ornati fuerant, imperia detrectabant. Et tamen *muneri suo* in alia omnia *transformato*, cui gerendo impares erant innumeri, vel eo satisfactum putabant, si diligentissime, etiam per vim et caedes, caverent, ne quid detrimenti receptae ab Ecclesia sententiae et caerimoniae paterentur *).

*) Origo *Principum ecclesiasticorum* maxime ab *Ottone* M. repetenda. *Witik.* Ann. L. I. p. 638. ed. Meibom. qui exemplo *Samuelis*, Pontif. Iud. hoc excusat. Conf. *Lehman* Chron. Spirens. germanice scriptum, L. IV. c. 3. Adde *Adam. Brem.* Hist. Eccles. L. IV. c. 35. *Otton. Frising.* Chron. L. VII. prolog. aliosque longe plurimos. Quaedam etiam non male observavit in hanc rem. *Christ. Thomasius* in Hist. contentionis inter Imperium et Sacerdotium, Capp. prioribus.

§. II.

Illustriores doctores Ecclesiae Graecae.

In hac multitudine doctorum Ecclesiae, quos aetas ista procreavit, fuere tamen *non pauci*, qui, regnante apud ceteros socordia et stupore, *rectiora ut docerentur*, omni ope laborarunt; alii, sed ii

paucissimi, quorum superiora seculis suis ingenia *acutius et verius* reliquis multa viderunt, partim etiam publicarunt *liberius*. *Ecclesia* certe *Orientalis* hoc aevo *Photium* habuit, Patriarcham Constantinop. ab a. DCCCLVIII. bis munere isto deiectum, et ad annum fere DCCCXCI. in exilio mortuum; virum sane doctissimum, *Bibliothecae* insigni opere, *Nomocanonis* collectione, Libris *adversus Manichaeos*, aliisque scriptis nobilem; in controversiis tamen theologicis aliquanto acriorem *a*). In eadem Ecclesia floruerunt theologi posteritatis memoria non indigni: *Oecumenius*, Triccae in Thracia Episcopus Seculo X. interpres Scripturae sacrae sic satis probandus *b*); — *Michael Psellus*, qui philosophiam docuit Constantinopoli exeunte Seculo XI. doctrina vix inferior *Photio*, omnemque fere *litterarum* ambitum scriptis suis complexus est *c*); — *Theophylactus*, Bulgariae Archiepiscopus, post a. MC. fato functus, *interpretandae Script. S.* studio clarus, cuius etiam monumenta litterata supersunt *d*); — *Euthymius Zigabenus* vel *Zigadenus*, monachus Constantinopol. *Commentar. in IV. Euangelia*, et *Panopliae dogmaticae fidei orthodoxae* non ineptus auctor, obiit post a. MCXVIII *e*); — *Theodorus Balsamon*, magnae Ecclesiae Constantinop. Diaconus et Charthophylax, superstes ad a. fere MCC. iuris ecclesiastici veteris consultissimus, quod scripta eius testantur *f*) — et praeter alios controversiis gerendis claros, de quibus infra dicendi locus erit, *Iosephus Bryennius*, monachus, ante annum MCCCCXXXVIII. mortuus, cuius *Homiliae* et *Dialogi* non contemnendi leguntur *g*). Doctrinam certe liberalem apud Christianos graecos his seculis nequaquam interiisse, *grammaticorum h*) et *historicorum i*) inter eos illustria nomina ostendunt.

a) *Fabric.* Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 369 sq. Bibliothecae eius praestantior editio *Andr. Schotti*, Rothom. 1653.

1653. fol. Nomocan. in *Iustelli* Biblioth. Iur. Canon. vet. T. II. LL. contra Manich. ed. *I. C. Wolfius* in Anecd. graecis; T. I. II. Epistolas *R. Montacutius*, Lond. 1651. fol. alia v. in *Canis*. Lectt. Ant. T. II. P. II. ed. Basnag. cet.

b) *Fabric.* l. c. Vol. VII. p. 788 sq. Commentaria eius collegit *Fed. Morellus*, Paris. 1631. 2 Vol. fol.

c) *Leon. Allatii* Diatriba de Psellis, in *Fabric.* Bibl. Gr. Vol. V. p. 14 sq. ubi etiam *Pselli* de omnifaria doctrina liber editus est.

d) *Fabric.* l. c. Vol. VI. p. 284. *Io. Franc. Bern. Mariae de Rubeis* Diss. de Theoph gestis et scriptis et doctrina, praemissa T. I. Opp. eius, Venet. ab a. 1754. ad a. 1763. 4 Voll. fol. editorum.

e) *Anna Comnena* Alexiad. L. XV. *Fabric.* l. c. Vol. VII. p. 460 sq. Panoplia eius primum graece publicata est Tergovisti in Walachia, 1710. fol. Comment. in Euangg. et ipse primum graece ed. est a *C. F. Matthaei*, Lips. 1792. 8.

f) *Fabric.* l. c. Vol. IX. p. 184 sq. Libri eius in *Iustelli* Biblioth. Iur. Can. vet. et *Leunclavii* Iure Gr. Rom. leguntur.

g) *Fabric.* l. c. Vol. X. p. 525. inprimis *Eugenius* praefat. addita Operibus eius, quae Lips. 1768. 2 Voll. 8. publicavit.

h) v. c. *Suidas*, *Eustathius*, *Thomas Magister*, *Maximus Planudes*.

i) De quibus supra C. I. §. 2. iisque addendus *Eutychius*, patrio nomine *Said Ibn Patrik*, Patr. Alex. Sec. X.

§. III.

Et Latinae Seculo IX. atque X.

Vberiorem quidem proventum scriptorum theologicorum *Ecclesia Latina* edidit hoc aevo; sed doctrina inter se valde dissimilium. *Meliores* eorum ingenio, eruditione et consiliis fuere *Seculo Carolino ac proximo*: *Agobardus*, Lugdunensis Episc. obiit a. DCCCXL. superstitionis in Ecclesia grassantis adversarius, quam libris *de picturis*

et imaginibus, *contra iudicium Dei*, et aliis, impugnavit a): — *Rabanus* seu *Hrabanus Maurus*, qui et a patria *Magentius*, vir suae aetatis doctissimus, praefectus primum scholae Fuldensis, postea Abbas eiusdem coenobii, denique Archiepiscopus Moguntinus, ab a. DCCCXLVII. ad a. DCCCLVI. multorum operum, maxime *in Script. S.* et *de disciplina ecclesiastica* parens b): — *Haymo* Halberstadiensis Episc. mortuus a. DCCCLIII. *Commentariis in Script. S.* et *Historia ecclesiastica* scribenda non male meritus c); — *Servatus Lupus*, Abbas Ferrariensis in Francia, post a. DCCCLX. vita functus, doctus inter paucos et elegans scriptor *Epistolarum* ac Libri *de tribus quaestionibus* d); — *Iohannes Scotus Erigena*, theologus ac philosophus subtilior, et sentiendo liberior, cuius *de divisione naturae dialogus*, et liber *de praedestinatione Dei* inprimis memorandi, superstes fuit ultra a. DCCCLXX. e); — *Hincmarus* Rhemensis Archiepiscopus ab a. DCCCXXXV. ad vitae extremum, h. e. DCCCLXXXII. magnae in utraque republica auctoritatis, iuris canonici veteris et disciplinae ecclesiasticae tenacissimus, doctrinae etiam haud spernendae; sed eorum, qui liberius de rebus sacris docebant, insectator acerbior, praeter *opuscula theologica* plura, alios libellos et *Epistolas* reliquit f); — *Ratherius Veronensis* Episcopus, qui cum totus in emendando Clero esset, multas sibi molestias creavit, mortuus a. DCDLXXIV g); — et *Sylvester* II. ab a. DCDXCIX. Episc. Ro. ad a. MIII, clarior multo *Gerberti* nomine, doctrina multiplici hoc consecutus, ut magicarum artium reus haberetur, scholae Rhemensis et litterarum per Francogalliam stator, cuius inprimis *Epistolae* ac Libellus *de corpore et sanguine Domini* laudantur h).

a) *Steph. Baluzius* in notis ad Agobard p. 3 sq. cuius Opera edidit Parisiis 1666. 2 Voll. 8. *Fabric.* in Biblioth. Lat. med. et in inf. aetatis, et Auctores Historiae litterar. Francicae, gallice scriptae, T. IV.

b)

b) *Rudolfi* et *Io. Trithemii* vitae Rabani in Actis SS. mens. Febr. T. I, *Fabricius* l. c. Hist. litt. Franc. T. V. et *Buddei* Dissert. de Rabano. Opera eius collegit *Georg. Colvenerius*, Colon. 1627. 6 Voll. fol.

c) *Trithem.* de Scriptt. Eccles. c. 257. *Fabric.* et Hist. litterar. Franc. II. cc *Derlingii* Diss. de Haym. Opera exegetica post *Erasmum*, Parisiis et Coloniae edita sunt, sed nondum collecta; libellus historicus a *Madero* iterum publicatus est.

d) *Fabric.* l. c. et Hist. litt. Franciae. T. V. *Baluzius* in notis p. 326 sq. adiunctis editioni suae Opp. Lupi, Paris. 1664. 8. rec. Antverp. (Lipsiae) 1710. 8.

e) *Fabric.* et Hist. litt. Fr. II. cc. *Bruck.* Hist. crit. Philos. T. III. p. 614—625. Liber de praedest. in *Mauguini* collectione legitur, LL. de divisione naturae. Oxon. 1681. fol. excusi sunt.

f) *Fabric.* l. c. Hist. litt. Franciae, T. V. Opera pleraque omnia collegit *Iacobus Sirmondus*, Paris. 1645. 2 Voll. fol.

g) *Sigeb. Gembl.* de viris ill. c. 22. *Fabric.* l. c. Hist. litt. Fr. T. VI. Leguntur plerique eius libri in *Dacherii* Spicil. T. II

h) *Fabric.* et Hist. litt. Fr. II. cc. *Bruck.* l. c. T. III. p. 646 sq. *Gabr. Naudaei* Apológia illustrium virorum, magiae accusatorum, gall. scripta. p. 389 sq. *I. D. Koeleri* Diss. de Gerberto. Libellum de corpore et sanguine Domini edid. *Bern. Pezius* in Thes. anecdot. T. I. P. II. Epistolas *Quercetanus* in Scriptt. Franc. T. II. Addendi his scriptoribus Sec. IX. *Christ. Druthmarus*, *Walafridus Strabo*, et *Anastasius Bibliothecar.* Sec. X. *Regino Prum.*

§. IV.

Theologi Scholastici Seculo XI, et proximis.

A Seculo autem XI. qui praestantioris Theologi nomen consectabantur, non modo, quod superioribus solenne fuerat, sententias Patrum colligebant, additis quibusdam de suo interpretationibus; sed *philosophari super dogmatibus christianis* decorum et utile existimabant: neque tam primi eorum ad placita Aristotelis, quam ad sua. Ita *Scho-*

Scholastici Theologi orti sunt, modesti primum et satis acuti de religione disputatores; mox una subtilitate et rixandi peritia illustres, et Peripateticae philosophiae cum Christ. religione coniungendae vindices acerrimi. Eorum *antesignanos* egerunt: *Lanfrancus* et *Anselmus*, Cantuarienses Archiepiscopi, ille a. MLXXIX. hic a. MCIX. mortuus, dialectici et metaphysici insignes, quod etiam *Lanfranci* Liber *de corpore et sanguine Domini*, *Anselmi Monologium* et *Proslogium*, LL. II. *cur Deus homo?* aliique libelli, testantur; uterque tamen imperandi non parum cupidus a); — *Petrus Abaelardus*, philosophus et theologus Gallus, qui vitam duris casibus exercitatam clausit a. MCLXII. coenobii Cluniacensis incola, vir ingeniosus, acutus, et in disputando versatissimus; liberiori autem spiritu, quo *Introductionem ad Theologiam* scripsit, haereseos accusationem incurrit b); — et *Petrus Lombardus*, Italus, Parisiensis Episcopus, fato functus a. MCLXIV. longe clarissimus *Libris IV. Sententiarum*, quibus Scholasticae theologiae summa capita complexus, innumeris auctor, magister et exemplum illius tractandae et interpretandae factus est c). Nobiliores post hos ex eodem genere Theologi fuere: *Alexander ab Ales* seu *Hales*, Anglus, doctor Vniversitatis Parisiensis et monachus Franciscanus, a MCCXLV. defunctus, primus *Lombardi* interpres argutior, scripta *Summa* theologica d); — *Thomas de Aquino*, Dominicanae familiae Italus, postquam in Parisiensi et aliis Vniversitatibus docuerat, mortuus a. MCCLXXIV. ingenio sane praeclaro, Scholasticorum post *Lombardum* optimus, *Summae Theologicae*, *Summae adversus gentiles*, et Sectae *Thomistarum* conditor e); — *Albertus Magnus*, Germanus, ex eadem monachorum gente, aliquamdiu Episcopus Ratisbonensis, obiit a. MCCLXXX. Coloniae, qui cum theologiae scholasticae scientia copiosa, *Aristotelicae* philosophiae, *physicarum* et *mathematicarum*

carum rerum notitiam non vulgarem coniunxit *f*); et *Iohannes Duns Scotus*, Anglus, ex Ordine Minorum, Parisiensis et Coloniensis doctor, mortuus a. MCCCVIII. perquam subtilis ingenii; sed non minoris obscuritatis in dicendo, auctor sectae *Scotistarum*.

a) De Lanfranco v. *Fabric.* Biblioth. Lat. med. et inf. aet. v. Lanfr. Hist. litter. Franciae, T. VIII. *Brucker.* Hist. crit Philos. T. III. inprimisque vitam Opp. eius praemissam a *Luc. Dacherio* edit. Paris. 1648. f. De Anselmo *Fabric.* et *Brucker.* II, cc. et Hist. litt. Franc. Tom. IX. et vitas eius adiectas collectioni Opp. Paris. 1721. f. a *Gabr. Gerberon.* curatae.

b) *Abaelardus* epist. 1. *Fabric.* et *Brucker.* II. cc. *Iac. Thomasii*, *Oudini*, *Gervasii* et *Niceronii* vitae Abael. Opera eius non pauca publicavit *Andr. Quercetanus*, Paris. 1616. 4. Theologiam Christ. *Marten*, Thes. Anecdot. T. V.

c) *Henr. Gandavens.* de Scriptt. Eccles. c. 31. et *Io. Trithem.* de Scr. Eccl. c. 377. *Oudini* Diss. de Lombardo, *Fabric.* et *Bruck.* ll. cc. Libri Sententt. Paris. 1550. 4. et quam saepissime editi sunt; commendanda inprimis Prolegomena et Observ. *Lamb. Danaei* in L. I. — Memorandus etiam h. l. *Hildebertus Cenomanens.* eiusque *Tractatus theologicus*, edit. cum aliis eius Opp. Paris. 1708. fol.

d) *Io. Trithem.* de Scriptt. Eccl. c. 458. *Fabric.* et *Brucker*, ll. cc. Summa ed. est Venet. 1576. 4 Voll. fol.

e) Vitae eius in Act. SS. Mart. T. I. *Oudini* et *de Rubeis* de eo Dissertt. Vita eius gall. scripta a *Turono*. Alia Opp. eius theologica accuratissime collecta prodiere Venet. 1745 sqq. 20 Vol. f.

f) *Henr. Gandav.* de Scriptt. Eccl. c. 43. *Trithem.* c. 464. *Fabric.* et *Bruck.* ll. cc. *Naudaeus* l. c. p. 369. Operum editio plenissima curata est Lugduni a. 1651. 21 Vol. fol.

g) *Trithem*, l. c. c. 416. *Fabric.* et *Brucker.* ll. citt. *Luc. Waddingus* in vita Scoti, Opp. eius Lugd. 1639. 12 Vol. fol. editis adiuncta. — De *Bonaventura*, *Guil. Occamo*, Scoti discipulo, *Gabr. Biel*, aliisque Scholasticis clarioribus, deque *tribus*, quae vulgo traduntur, *eorum aetatibus*. Addendi etiam ex Sec. XII. *Rupertus Tuitiensis*, *Petr. Venerabilis*, et *Petr. Blesensis*.

§. V.

§. V.

Theologi Mystici inde a Seculo XII.

Florente ergo hoc theologorum genere per omnem reliquam periodum, veteris formulae doctores, qui et *Positivi*, pene ex memoria hominum migrarunt. Sed *Mystici*, aliud genus, prorsus illud oppositum *Scholasticis*, tanto diutius superfuerunt, magis etiam quam isti, utiles rei christianae. Horum princeps sub initia theologiae scholasticae fuit *Bernhardus*, *Claraevallensis* in Gallia Abbas, vir pro ingenio aetatis suae valde pius, sacrarum litterarum studiosus et commendator, scriptor disertus in primis, et disciplinae ecclesiasticae adsertor; auctoritatis vero in omni Ecclesia Occidentis prope immensae; parum tamen doctus, dominandi cupidus, et acerbior hostis eorum, qui aliqua in religione docenda novarent, mortuus a. MCLIII. cuius *Sermones*, *Epistolae*, et *Libri IV. de Consideratione sui ad Eugenium* III. Episc. Ro. hodieque celebrantur a). Eiusdem feliciores imitatores egerunt: *Iohannes Taulerus*, Dominicanus Argentoratensis, post a MCCCL. vita functus, *Sermonibus* ad populum de religione habitis, iisque ad veram christianae religionis indolem proxime accedentibus, illustris b); — et *Thomas a Kempis*, Subprior Coenobii Canonicorum Regularium S. Augustini prope Zwollam, qui a. MCCCCLXXI. obiit, *Libris IV. de imitatione Christi* nobilis c),

a) Vitae Bernhardi in edit. Opp. eius *Mabilloniana* tertia. Paris. 1709. Tomis 6. f. Voll. 2 fol. recus. Venet. 1726. 4 Voll. f. *Oudini* de scriptis eius Dissert. et *Fabric.* l. c.

b) *Echardi* et *Quetifii* Scriptores Ord. Praedicatorum, T. 1. *Fabricius* l. c. p. 4. p. 149 sq. ed. Petav. Editi sunt libri eius Norib. 1688. 4. et saepius.

c) *Trithem.* de Scriptt. Eccl. c. 707. *Fabric.* libr. laud. p. 215. P. 4. Libri eius innumerae prope exstant editiones,

tiones, atque versiones, splendida inprimis ed. Paris. 1641 f. *Castellio* dictionem eius emendavit. *De auctore* operis *controversia*. De *Hug.* et *Rich. a. S. Victore*, aliisque Mysticis.

§. VI.

Scriptores doctrina et ingenio eminentes a Sec. XII.

Sed longe reliquis praestitere his temporibus Latini scriptores quidam *laetiori ingenio* aut *rara doctrina*, nonnunquam et *sentiendi* quadam *libertate generosa* praediti. Talem ipsa Scholasticorum prima aetas vidit *Iohannem Sarisberiensem*, Episc. Carnotensem, a. MCLXXX. mortuum, eximiae doctrinae virum, ingeniosum, et censorem vitiorum sui aevi acerrimum; quod *Epistolae*, *Policraticus* et *Metalogicus* eius docent [a]). Vtilem Ecclesiae operam navavit *Raymundus Martini*, Dominicanus inter Hispanos, post a. MCCLXXXVI. vita functus; qui linguarum orientalium quam tenuit scientiam, *Pugione fidei adversus Mauros* et *Iudaeos* scribendo posteris probavit [b]); — utiliorem *Nicolaus de Lyra*, Gallus ex Ordine Minorum, mortuus a. MCCCXL. qui *Postillas perpetuas* in Script. S. edidit, hebraicae linguae et interpretandi peritiam non levem ostendentes [c]). Maior his *Franciscus Petrarcha* fuit, excellenti ingenio Italus, qui sepultas per tot secula bonas litteras in vitam revocare coepit, mortuus a. MCCCLXXIV. cuius inter alia *Epistolae*, Libri de *remediis utriusque fortunae*, et similis argumenti alii, famam nominis eius tuentur [d]). Verum omnes *Laurentius Valla* superavit, Canonicus Romanus doctissimus et sagacissimus, idemque liberioris animi, e restauratoribus melioris doctrinae, cui praeter alia inmortalia opera, *Annotationibus in N. Testament.* profuit, rebus humanis ereptus a. MCCCCLVII [e]). Cum autem eadem

aeta-

aetate, reviviscentibus litteris graecis et latinis, diu desideratus universae doctrinae cultus accederet: nonnihil ex eo etiam ad scriptores latinorum ecclesiasticos pervenit *f*).

a) *Trithem.* de Script. Eccl. c. 394. *Fabricius* et *Bruckerus* l. c. Vterque liber repetitus est Lugd. Bat. a. 1639. 8.

b) *Fabric.* l. c. *Quetifius* et *Echardus* in Script. Ord. Praed. T. I. Opus *Io. Bened. Carpzovius* edid. cum egregia Introduct. Lips. 1686 fol.

c) *Trithem.* c. 553. *Fabric.* l. c. et *Wolfii* Biblioth. Ebr. Postillae accurate excusae sunt Lugd. 1590. 6 Voll. f.

d) *Petrarchae* epist. de se ipso. *Thomasini* Petrarcha redivivus Aliorum plurimorum vitae eiusdem. *Fabric.* l. c. Opera eius et sigillatim prodiere frequentius, et iunctim Basil. 1581. fol. Eadem fere aetate *Tho. Bradwardinus* scripsit, et Sec. XIII. *Rogerius Bacon*, uterque Anglus.

e) *Trithem.* l. c. c. 750 *Brucker.* Hist. crit. Phil. T. IV. *Fabricius* vel potius *Schoettgenius* l. c. Opera pleraque leguntur in edd. Basil. 1540. 1543. fol. Annott. in N. T. etiam in Criticis SS. seu Anglic.

f) Quo pertinent *Aeneas Sylvius*, *Ambrosius Camaldulensis*, *Marsil. Ficinus*, *Alph. Tostatus*, alii.

§. VII.

Canonum veterum et Iuris Pontificii collectores atque interpretes.

Praeter haec genera scriptorum Latinae Ecclesiae, duplex florebat hac aetate: *alterum* longe numerosissimum *historicorum*, qui de rebus in republica, maximeque in Ecclesia gestis, de vitis Sanctorum, Episcoporum et Monachorum, cet. commentarios edebant, quos inter omnibus his seculis fuerunt nonnulli fide et diligentia praestantes *a*); *alterum* eorum, qui *leges ecclesiasticas* compilabant, quarum notitia clerici minime omnium carere poterant. Huius argumenti sunt *Regino-*

ginonis Pruminensis monachi, anno DCCCCXV. mortui, LL. II. *de disciplinis ecclesiasticis et religione christiana* b); — *Burchardi Wormatiensis* Episc. qui post a. MXX. e vita migravit, *Libri XX. Decretorum* c) —; et *Ivonis Carnotensis* Episc. a. MCXV. defuncti, *Decretum*, seu *Collectiones Canonum*, itemque *Pannomia* vel *Pannormia* d). Posthaec *Iuris Canonici novi* seu *Pontificii*, collectionem princeps instituit *Gratianus*, clericus Bononiensis a. MCLVIII. fato, functus, cuius *Decretum* seu *Concordia discordantium canonum* publicam auctoritatem mandato Pontificum Ro. adepta, fundamentum *Corpori Iuris Canonici* exstruendo praebuit e). Secutae sunt plures collectiones *Decretalium*, sive Epistolarum Pontificiarum; tandem *Raymundus de Pennaforti*, Hispanus ex ordine Praedicatorum, a. MCCLXXV. mortuus, iubente *Gregorio IX.* Pont. Romano, *Libros V. Extravagantium Decretalium* sive *Decretalium Gregorii IX.* addidit f). Accessere postremum *Liber VI. Decretalium* auctore *Bonifacio VIII.* P. R. sub exitum Sec. XIII. Seculo autem XIV. *Clementis* V. *Clementinae*, et *Iohannis* XXII. *Extravagantes* g). E quibus omnibus coaluit *Legum Pontificiarum*, quas permulti, inde a *Gratiano*, ore et scriptis interpretati sunt, *Corpus* h).

a) Nomina meliorum ex iis edita fere sunt C. I. §. II. not. *b*, quibus addi possunt: *Witichindus* Corbeiens. *Roswitha Gandershem. Ditmarus Merseb. Marianus Scotus. Godefridus Viterb. Conradus Vrsperg*, alii.

b) *Sigeb. Gembl.* de Scr. Eccl. c. 111. *Trithem.* de SS. Ecc. c. 295. *Fabric.* Bibl. Lat. med. et inf. aet. Hist. litter. Franciae, T. VII. Optime edidit et illustravit *Baluzius*, Paris. 1671. 8.

c) *Sigeb.* l. c. c. 141. *Fabric.* l. c. *Gerh. von Mastricht* Hist. Iur. Ecclesiast. et Pontif. p. 280 sq. Duisb. 1676. 8. Editum est opus Paris. 1549. 8. et saepius.

d *Sigeb* l. c. c 167. *Trithem.* l. c. c. 149. *Fabric* l. c. Hist. Litt. Franciae, T. X. *Mastricht* l. c. p. 304 sq. vita eius a *Io. Frontone* scripta in edit. Opp. Ivonis, Paris

ris. 1747. fol. Habent iam et *Burchardus* et Ivo spurias Decretales permultas.

e) *Trithem.* l. c. c. 373. *Anton. Augustin.* de emendat. Gratiani LL. II. rec. 1676. 8. Duisb. *Fabric.* l. c. *Mastricht* l. c. p. 325 sq. *I. H. Boehmeri* praef. ad edit. Corp. Iur. Can.

f) *Quetifii* et *Echardi* Scriptt. Ord. Praedicatt. T. I. *Fabricius* l. c T. V. p. 224 sq. ed. Patav. *Mastricht* l. c. p. 384 sq. *Chiflet.* de Iuris utriusque architectis, c. 6.

g) *Mastricht* l. c. p. 391 sq.

h) Post egregiam fratrum *Pithoeorum* edit. Corp. Iur. Can. recus. c. 1705. fol. accessit utilis inprimis *I. H. Boehmeri*, Halae 1747. 2 Voll. 4. De *Innoc.* III. et IV. Pontific. Ro. de *Io. Semeca*, aliisque Iur. Pontif. interprett.

§. VIII.

Decretales confictae, et Pontificia dominationis incrementa.

Has nimirum *leges*, haec *iura Romanorum Episc.* nosse accuratius, Christianorum omnium per Occidentem intererat, postquam illi quaesitum diu in hos *imperium* tandem hac aetate *penitus invaserant.* Id autem consecuti sunt tot *artibus* et *fraudibus*, tanta *machinationum, praesidiorum*, et *ministrorum* non modo varietate, sed etiam atrocitate, ut mirum videri iam non possit, inauditae maioribus suis dominationis iugum Christianos denique passos esse *a*). Callide sane ab ipsa *iuris ecclesiastici mutatione* initia capientes, ut omnibus Christianis mature persuaderent, quanti essent divina voluntate Principes, sub exordium huius aevi, *Decretales Epistolas Ro. Episcoporum* a *Clemente Ro.* ad Seculum VI. quas impostor quidam, *Isidori* nomen mentitus, confinxerat, non modo *approbarunt*, et *tributam sibi in iis potestatem vindicare* coeperunt; sed etiam haec aliaque decreta sua parem, imo maiorem ipsis Principum legibus vim habere iusserunt *b*). Decretalium

lium fraudi patrocinata est *levitas* et *imprudentia plerorumque*, qui *e stirpe Caroli M.* regnarunt, crescentem potentiam Ro. Pontiff. turpi adulatione alentes: in his maxime *Carolus Calvus*, Francorum Rex, qui a. DCCCLXXV. donis et promissis apud *Iohannem* VIII. P. R. effecit, ut ab eo Imperator et Rex Italiae proclamaretur *c*). Quod exemplum alii mox secuti sunt.

a) Concinne et accurate vim et dolos, quibus Pontt. Ro. in stabilienda monarchia usi sunt, enarrarunt inter plurimos, *Cyprianus* de origine et progressu dominationis Pontif. et *Pufendorfius* Observatt. politicis de monarchia ecclesiast. Episcc. Roman. cum *Thomasii* annott. uterque germanice. De *Caiet. Cennii* Monumentis dominat. Pontif.

b) *Dav. Blondelli* Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes, *Mastricht* l. c. p. 232 sq. et de Iur. Canon. vet. ac Pontificii discrimine, *Petr. de Marca* de Concord. Sacerd. et Imp. L. III. c. 6. n. 4. *Spittleri* Hist. Iur. Canon. germanice scripta.

c) *Regino* Chron. L. II. ad a. 875 et 877. Annal. Fuldens. et Metens. ad a. 876. De *Gregorii* IV. P. R. moliminibus adversus *Lud. Pium*, cet.

§. IX.

Pontiff. Ro. scelera Sec. IX. et X. Narratio de Iohanna Papissa. Ottonum virtus in coercendis Pontificibus Romanis.

Ita cum inter Principes Occidentis nemo esset, cuius reverentia tangerentur Episcopi Ro. ipsi potius ab illis maiorem in modum culti; Italia autem discordia Principum scinderetur, *Romanae urbis proceres et episcopi* omnia sibi licere existimarunt: unde *tetra facies huius ecclesiae* orta est exeunte Seculo IX. et ineunte X. *dominantibus* in ea *impudicis et potentibus* quibusdam *mulieribus*, *earumque amicis*. Nam *Theodora*, eiusque *filiae*, *Theodora* et *Marozia* amasios et filios suos in hac

sede

sede collocarunt: homines certe *multorum scelerum rei* Episcopatum Ro. hoc tempore occuparunt a). Inter quos cum *Iohannes* X. XI. et XII. essent: exorta inde fortassis est aliquo tempore post *traditio*, nec antiquorum scriptorum testimoniis nixa, et chronologicis rationibus contraria, *foeminam*, quae sexum mentita esset, defuncto *Leone* IV. ab a. DCCCLV. *cathedram Romanam*, adscito *Iohannis* VIII. nomine *occupasse* per biennium, et partu denique publice edito, mortuam esse b). Tandem *Otto M.* Germaniae Rex et Romanorum Imperator, ab a. DCCCCLXI. foedissimos mores et licentiam Episcopp. Ro. in violanda Imperatt. auctoritate, fortiter correxit; cuius in eo vestigia filius *Otto II.* et magis etiam nepos, *Otto III.* non infeliciter presserunt c).

a) *Luitprand.* Hist. L. I. c. 8 sq L. II. c. 13. 16. L. III. c. 12. 13. *Flodoard.* Chronic. ad a. 933. *Platina* in vita Sergii III. Iohan. XI. et seqq. conf. *Loescheri* Hist. dominationis muliebris in Eccl. Ro. germanice scripta.

b) De *locis*, qui adferuntur *Anastasii*. *Mariani Scoti*, *Sigeberti Gemblac.* *Martini Poloni*, et posteriorum scriptorum usque ad *Aeneam Sylvium* et *Platinam*, Sec. XV. qui primi narrationem incertam et errorem vulgi appellarunt, deque *monumentis* rei gestae. Repugnant, quae apud scriptores eiusdem aetatis, *Hincmarum Rhem.* *Servatum Lupum*, et *Annalist. Bertin.* leguntur; historia item et numi Pontiff. Ro. post Leonem IV. Confutavit primus diligenter ab a. 1649. *Dav. Blondellus*; inde plures vehementiori stylo in eam insurrexere; e recentioribus memorabilis liber *Ioseph. Garampii* de nummo argenteo Bened. III. Rom. 1794. 4. Veram esse historiam doctius et ingeniosius ceteris defendit *Fridericus Spanhemius* fil. De *usu* narrationis. De *origine* eius v. *C. A. Heumanni* libellum.

c) *Luitpr.* l. c. L. VI. c. 6 11. Append. ad *Luitprand.* c. 1 sq. *Hroswithae* Paneg. Ottonum, p. 726. ed. Meibom. in Script. Rer. Germ. T. I. Continuat. *Reginonis* et plures ad a. 963 sq. *Ditmar.* Chron. L. II. et IV. *Lamb. Schafn.* ad a. 998 alii. De Constitutionibus *Leonis* VIII. et *Gregorii* V. de Imp. Romano. De *Papae nomine*, quod a Seculo IX. et X. sibi solis vindicarunt Episcopi Ro.

§. X.

§. X.

Gregorius VII. dominationi Pontif. fastigium imponit. Bellum de Investituris.

Quamvis autem e Francica quoque stirpe Imperatores Seculo XI. maiestatem suam non negligenter Romana in urbe tuerentur; tamen ex iis *Henricus IV. accessio* quasi *imperii Pontiff. Ro.* factus, et ab iis iniquissime habitus est. Incidit enim in tempora Pontificis omnium ferocissimi et dominandi cupidissimi *Gregorii* VII. qui ab a. MLXXIII. Romanam cathedram tenens a), paullo post ab *Henrico* postulavit, ut *Simoniam* in Germania grassantem tolleret: quo referebat inprimis *Clericorum investituram per baculum et annulum*, ab Imperatt. capiendam. Imperator iuris sui tenax, haud pro exspectatione respondit, atque adeo coërcere hominem, iussa et minas iactantem, instituit. Iste, intestinis Germaniae dissidiis in rem suam usus, eo tandem *Henricum* vexando adegit, ut poenitentia publica ei coram Pontifice supplici agenda esset a. MLXXVII. redeuntem autem ad pristina consilia omnibus modis turbavit ad finem vitae, h. e. ab a. MLXXXV b). Nec quieverunt ante successores eius, quam exosum sibi *Investiturae* illius *ius* missum faceret *Concordato Wormatiensi* anno MCXXII. *Henricus* V. Imp. c). Idem autem *Gregorius*, quod in *Henrico* IV. in reliquis etiam per Occidentem Principibus, tentavit, ac fere perfecit, ut regnum et omnia sua Episcopis Ro. debere se faterentur d). Porro *coelibatum Clericorum*, ingens illud praesidium potestatis Pontificiae in Clericos, imo in Christianos omnes, plerisque Ecclesiis, etsi invitis, imperavit, damnato iusto illorum matrimonio, specie *Concubinatus* e). Denique idem Pontifex, amicitia et auxilio *Mathildis*. Marchionis Tusciae, hoc consecutus est, ut ea Ecclesiam Ro. omnium terrarum suarum heredem

dem scriberet, a. MLXXVI. vel MLXXVII. ac rursus a. MCII. Quam *donationem* etsi Imperatt. Ro. Germ. iure suo reiicerent; fructus tamen eius amplissimi denique ad Pontiff. Ro. pervenerunt *f*).

a) *Bennonis* Cardin. de vita et gestis Hildebrandi, L. II. in *Goldasti* Apolog. pro Henr. IV. Hanov. 1611. 4. Alii veteres scriptt. de eius vita, in *Murat.* Scriptt. Rer. Ital. T. III. P. 1. *Gretseri* et *Tengnagelii* Collect. Script. pro Gregorio. *I. C. Ditmari* vita Greg. VII. Epistolae huius in *Harduini* Concil. T. VI. P. I. ubi etiam *Dictatus Gregorii* leguntur.

b) *Benno* l. c. L. I. c. 2. *Lamb. Schaffnab.* ad a. 1075 sq. *Brunon.* Hist. belli Saxon. in *Freheri* Scriptt. T. I. *Sigeb. Gembl.* ad a. 1076 sq. *Otton. Frising.* Chron. L. VI. c. 35. L. VII. c. 8 sq. et de gestis Frid. I. L. I. c. 1 sq. *Conr. Vrsperg.* Chron p. 160 sq. Argent. 1609. fol. Alii. De *Clemente* III. Pont. Ro. et *Urbani* II. ac *Paschalis* II. in *Henricum* actis.

c) *Otto Fris.* L. VII. c. 13 sq. *Conr. Vrsperg.* l. c. p. 193. sq. *Helmold.* Chron. Slav. L. I. c. 40. Conc. Worm. in *Leibnitii* Cod. Iur. gent. dipl. T. I. p. 2. et in *Harduini* Act. Concil. T. VI. P. II. p. 1107.

d) v. praeter Scriptt. laudatos, inprimis *Lamb. Schaffnab. Otton. Frising.* cet. Epistolas *Gregorii* l. c. v. c. L. II. ep. 70. 74. L. IX. ep. 3. L. X. ep. 7. 28 cet.

e) *Lamb. Schaffnab.* ad a. 1074. p. 378. ed. Pist. Sigeb. *Gembl.* ad eund. ann. *Calixtus* de coniugio Cleric. p. 426 sq. *Koerneri* liber de coelibatu Clericor. germanice scriptus.

f) *Lamb. Schaffnaburg.* ad a. 1077. *Donnizon.* vita Mathild. L. II. c. 1. in collect. Tengnagel. Charta donationis in *Leibnit.* Scriptt. Brunsvic. T. I. *Conring.* de finib. Imp. German. L. I. c. 110. p. 120 sq. *Kocheri* Diss. de donat. Mathildina. De novo fulcro dominationis Pontif. sub haec tempora, *Normannorum in Italia* favore, et de *Monarchia Sicula*, v. *Iannonium* (*Giannone*) in Hist. Neapol. P. II. p. 37 sq. 87 sq. 97 sq. version. germanicae.

§. XI.

Pontiff. Romani imperium in Principes exercent.

Imminentem orbi christiano Pontiff. Ro. dominationem *expeditiones* etiam *cruciatae*, de quibus supra dictum est, hoc tempore et proximis seculis adiuverunt. *Quarum* illi non modo *supremos duces* egerunt; sed etiam *Principes* ad eas instituendas, legibus, minis et poenis *adegerunt* a). Per eorumdem bellorum occasionem *indulgentiis* suis novum et ampliorem honorem b), *Clero* autem, qui totus suarum partium erat, *maiores divitias* conciliarunt c). Ita animosiores et potentiores in dies facti, imperatores et Reges quosvis impune vexarunt; ac fere semper *e litibus*, quas cum iis agitabant, *superiores* discesserunt. *Fridericum* certe I. Imper. longis per Italiam bellis exercitum et fatigatum eo tandem compulit *Alexander* III. a. MCLXXVII. ut auctoritatem suam, quam diu respuerat, agnosceret d). Mox *Innocentius III.* qui ab a. MCXCVIII. Ecclesiae Ro. praefuit, collapsam sensim Imperatorum German. in urbe et ditione Romana potestatem penitus abrogavit, *solus* iam *Romae dominus* e). Idem *Iohanni* Anglorum Regi, quem *Sine Terra* vocant historici, ademtum regnum transtulit in *Philippi Augusti*, Franciae Regis, filium; restituit tamen *Iohanni*, cum hic a. MCCXIII. et regnum et sese Pontifici submitteret, ac tributum annum sponderet f). *Fridericum II.* autem Imp. quod expeditionem cruciatam ex mandato Pontificum suscipere nollet, et auctoritatem Imperatoriam per Italiam omni ope stabiliret, saepius diris devoverunt, haereseos et atheismi damnarunt, ipsoque imperio privare conati sunt *Gregorius IX.* et *Innocentius IV.* quorum ille ab anno MCCXXVIII. ad a. MCCXLI. hic ab. a. MCCXLII. ad a. MCCLIV. Ecclesiam

Ro. rexit. Quibus tamen *Fridericus* fortiter restitit ad mortem usque, h. e. anno MCCL. g). In qua non acquieverunt ante Pontificum odia, quam ultimum de stirpe *Friderici*, *Conradinum* ducem, a. MCCLXIX. neci tradidissent h).

a) Ablegatus v. c. *Conradus* III. Imp. a. 1147. in Palaestinam, cum rei bene gerendae in urbe Romana egregia occasio se ei offerret, ab *Eugenio* III. per *Bernhardum* Claraev. *Otto Frising*. Chron. L. VII. c. 27. 31. 34. *Idem* de gest. Frid. I. L. I. c. 35. 39 sq.

b) *Urbanus* II. apud *Guil. Tyr.* de bello sacro L. I. Concil. Claromont. can. 2. *Otto Frising*. de gest. Frid. I. L. I. c. 35. *Leo Casin.* Chron. L. IV. c. 11. alii plurimi.

c) *Matth. Paris* Hist. maior. p. 747. ed. Turic. *Cangius* seu *Fraxinetus* notis ad *Ioinvillae* vitam Ludov. Sancti, gall. scriptam, p. 52. Paris. 1668. fol.

d) *Otto Frising*. L. II. c. 12. 16 sq. cet. *Radevic*. vita Frid. I. L. I. c. 9. sq. L. II. c. 1 sq. et *Ott. de S. Blasio* Contin. Ott. Fris. c. 13 sq. e recentioribus *Bünavii* Comitis Historia Frid. I. patrio sermone scripta.

e) Gesta *Innocentii* III. c. 8 sq. p. 2 sq. Eiusd. Epistt. L. I. n. 23. p. 12. Paris 1682. fol.

f) *Matth. Paris* l. c. p. 214 sq. 223 sq. inprimis p. 227 sq.

g) *Conrad. Ursperg*. Chron. p. 245. 247 sq. *Alb. Stadens*. Chron. p. 305 sq. in *Schilt.* Scripti R. G. *Matth. Paris* l. c. p. 332 sq. 351. 466. 469 sq. 481 sq. 488 sq. 648 sq. 658 sq. cet. *Alb. Stadens*. alii, inprimis Epistolae *Petri de Vineis*, Amberg. 1609 8. Acta Concil. Lugdun. a. 1245. apud *Harduin.* Tom. VII. p. 375 sq.

h) *Matth. Paris* l. c. p. 865. 962. *Alb. Argentin*. Chron. ad. a. 1268. apud Urstis. *Iannonius* in Hist. Neapol.

§. XII.

Monachorum opera in firmanda potentia sua utuntur.

Nacti inter haec nova imperii sui praesidia Pontifices Romani, *Monachorum Ordines* seu familias

milias plures, perpetui quasi militis sui multa millia christiano orbi imposuerunt. Nam cum diu solus *Ordo Benedictinus* in Ecclesia Occidentali floruisset; sed longe iam ab instituto suo aberrans, et opulentior quam utilior: emendandi illius caussa accuratior Regulae S. *Benedicti* observatio revocata est Seculo XI. in *Congregatione Cluniacensi* a), et *Ordine Cisterciensi* b); deinde accessit severissimae disciplinae *Cartusianus Ordo*, auctore *Brunone* c); Seculo XII. secuti *Carmelitae*, quibus *Carmelus* mons Palaestinae prima sedes fuit d), et *Praemonstratenses*, quos *Norbertus*, Archiep. denique *Magdeburgensis*, reformandis *Canonicis Regularibus*, *Praemonstrati* in Gallia instituit e). Sed omnes eadem labes, quae Benedictinos, cito invasit, ut divitiis et luxu diffluerent. Itaque alii *paupertatem* unam omnium maxime *prodesse Ecclesiae* rati, hanc, quanta ab homine tolerari posset, sequi suos iusserunt. Hi fuere natales *Ordinum Mendicantium*, quos *Gregorius* X. in Concilio Lugdunensi a. MCCLXXIV. ad *quatuor* redegit f); *Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum*, de quibus antea, et *Augustinianorum Eremitarum*. Hos quidem *Alexander* IV. P. R. a. MCCLVI. efformaverat g). *Dominicani*, qui et *Fratres Praedicatores*, auctore *Dominico*, Hispano, a. MCCXXI. mortuo, orti, habendis ad populum de religione sermonibus, et haereticis exstinguendis maxime studebant h). *Franciscani* autem, seu *Fratres minores*, quorum parens *Franciscus Assisiensis* fuit, a. MCCXXVI. vita functus, perfectissimae paupertatis et pietatis specimen praebituri Christianis, Ecclesiae quaecumque ministeria, etiam molestissima, obtulerunt i).

a) *Mabillon.* Ann. Bened. Tom. III. p. 386. *Eiusd.* praef. ad Act. SS. O. S. B. Sec. V. p. 26.

b) *Order Vit.* H. Eccl. L. VIII. p. 711. *Pagii* Crit. ad a. 1098. n. 9.

c) De S. *Brunone Fabric.* Biblioth. Lat. med. et inf. aet.

et maxime Hist. litt. Franciae, T. IX. Opp. eius Coloniae a. 1611. 3 Voll. fol. prodiere. Conf. *Pagium* l. c. ad a. 1086. n. 5. et *Io. Launoium* de vera caussa secessus S. Brun. in eremum.

d) *Dan. Papebroch.* in Act. Sanct. mens. April. T. III. Origg. Ord. ex mente Carmelitar.

e) *Rob. de Monte* Append. ad Chronogr. *Sigeb.* ad a. 1120 p. 168. in Pistor. Scr. R. G. T. I. *Pagius* l. c. ad e. a. De S. Norberto v. *Fabric.* Bibl. lat. med. et inf. aet. et vita eius vel potius laudatio gall. scripta ab *Hugone*, Luxemb. 1704. 4.

f) In *Harduin.* Concil. T. VII. p. 715.

g) Acta SS. mens. Febr. Tom. II. p. 482.

h) Vita S. Dom. in Actis SS. mens. Aug. T. I. *Quetif.* et *Eckard.* Script. Ord. Praedicatt. T. I. *Fabric.* l. c. p. 44 sq. T. II. ed. Patav. *Turonii* vita S. Domin. et eiusd. liber de viris illustribus inter Dominicanos, cum priore gall. scriptus.

i) *M. Paris.* l. c. p. 327 sq. *Bonaventurae* vita S. Francisci. Opp. eius Lugduni 1653. fol. additis scriptis S. *Anton de Padua* edita sunt. *Luc. Waddingi* Annales Ordinis Minorum. *Fabric.* l. c. p. 188 sq. — Addend. Ordines: *Fontevraldensis*, Sec. XII. *Servitarum* et *Mathurinorum* seu *FF. S. Trinitatis*, Sec. XIII. — Historiam Ordd. monastic. inprimis diligenter tradiderunt *Hipp. Helyotus*, Voll. 8. quaternis, et Auctor Operis de Ordd. Monast. 7. Voll. 8. 1751. editi, qui libri e gall. germanice conversi leguntur.

§. XIII.

Alia praesidia dominationis Pontif. Inquisitio. Bella. Exactiones pecuniariae.

Hi duo Ordines etsi eodem, quo orti erant Seculo, vehementissime ab Vniversitate Parisiensi, inprimis a *Guilielmo de S. Amore*, mort. a. MCCLXXII. oppugnarentur *a*), intestinis etiam exagitarentur dissidiis, ut nobili illa et diuturna *Franciscanorum* de paupertate perfecta controversia *b*), iidemque cum *Dominicanis* varia bella gererent de sententiis compluribus *c*); nihilominus tamen

tamen antiquiores familias monachorum et clericos in universum omnes, auctoritate et iuribus brevi superarunt. Privilegiis enim Pontiff. Ro. adiuti, indulgentiarum ditati facultate, austerioris vitae specie venerabiles, terribiles item haereticis vexandis, episcoporum et parochorum munia obeuntes, cathedras etiam theologicas plerasque in *Vniversitatibus*, quae cum ipsis fere exortae sunt, occuparunt, fidelissimi Pontificum parastatae, et in ipsis aulis Principum potentes. Inprimis autem postquam *Dominicus* fundamenta *Inquisitionis*, hoc est tribunalis, quod inquirendis et puniendis haereticis occupatum esset *d*), iecerat, secuta mox sunt bella seu *expeditiones cruciatae in haereticos* Seculo XIII. in *Albigenses* quidem per Galliam ab a. MCCIX *e*); in *Stedingos* per Germaniam ab a. MCCXXXIII. *f*): et iam contra Imperatores et Reges *crux praedicata* est. Ita quidquid ubique fuit per Occidentem, Roman. Pontiff. voluntati succubuit, *interdicto, excommunicatione, mulctis*, aliisque poenis in refractarios saevientium. *Opum* vero immensarum *corradendarum novos* in dies *modos* professi, *Taxa Cancellariae Apostolicae*, *Exspectativis*, *Reservationibus*, *Provisionibus* et *Indulgentiis* vendendis, avaritiae suae omnio satisfecerunt *g*).

a) *Matth. Paris* Hist. maior. p. 851. 880. 909 sq. *Guil. de S. Am.* Opera Constantiae (Paris.) 1632. 4. edita. *Bulaei* Hist. Univers. Paris. T. III. *Fabric.* Bibl. Lat. med. et inf. aet. De *Euangelio aeterno*.

b) *Wadding*. Annal. Ord. Min. T. III. sq. Concinne et accurate has lites ortosque inde *Spirituales*, *Fratricellos*, *Beguardos*, cet. discripsit *Moshem*. Institutt. H. Eccl. Antiq. et Recent. p. 521 sq. quod ad Sec. XIII. et p. 580 sq. quod ad Sec. XIV. sed multo accuratius et copiosius in Commentar. de Beghardis et Beguinabus, quem post fata eius auctiorem ed. *G. H. Martini*, Lips. 1790. 8.

c) *Matth. Paris.* l. c. p. 592 sq. Adde *Thomistarum* et *Scotistarum*, *Nominalium* et *Realium*, aliaque inter eos dissidia.

d) *Phil. a Limborch* Historia Inquisitionis; coll. Benedictinorum Hist. gener. Languedociae, gallice scripta T. III. Adde leges *Frider. II.* et *Ludovici S.* in haereticos, quibus inquisitorum potestas firmata est.

e) Scriptores belli in *Quercet.* Scriptt. R. Franc. T. V. conf. *Raynaldi* Ann. ad a. 1208. Hist. gen. Langued. l. c. et *Basnagii* Hist. Eccl. T. II. p. 1425 sq.

f) *Alb. Stadens.* Chronic. a. 1233 sq. p. 306 sq. collect. Schilter. *Io. Dan. Ritter* de pago Steding, et Stedingis.

g) *Matth. Paris* Hist. maior. p. 349 sq. 507. 515. 677 sq. 688. 694. et aliis locis. Permulta inprimis post alios, apta huic loco, collegit *Georgius* in Gravaminib. Imperatt. Princc. et Nationis Germ. adversus Sedem Romanam, Francof. 1725. 4.

§. XIV.

Principes et privati inter Christt. Pontificibus Rom. se opponunt.

Erant semper inter Christianos Occidentalis Ecclesiae, qui impotentem hanc et crudelem Roman. Pontificum dominationem nec ipsi ferre vellent, et alios quoque ad eam excutiendam hortarentur, ut medio Seculo XII. *Arnoldus de Brixia*, Romanis signum libertatis recuperandae praeferens a); eodem Seculo et sequenti *Waldenses* atque *Albigenses*, Sec. XIV. *Wiclefitae*, Sec. XV. *Hussitae*, de quibus infra dicendi locus occurret. Sed impares tantae rei exsequendae cito oppressi sunt. Primus fere Christianos, maximeque Principes eorum, quantum in ipsis virium esset ad frangendam tyrannidem Pontificiam, docuit *Philippus Pulcher*, Franciae Rex. *Bonifacium* enim VIII. superbissimum Pontificem ab anno MCCXCV. supremam sibi iurisdictionem ecclesiasticam et civilem per Europam arrogantem, multa inconsulto et invito *Philippo* per regnum eius agentem, imo hunc diris devoventem, non modo decretis coërcuit; sed etiam per *Guil. Nogaretum* cepit Anagniae,

gniae, et castigavit *b*). Paullo post *Ludovicus Bavarus* Imp. ab a. MCCCXIV. nequicquam ad tribunal Pontif. Ro. *Iohannis* XXII. vocatus, ut rationes suscepti imperii illi redderet, excommunicatus postea ab eodem Pontifice, et regno privatus, quantum in eo erat, non modo magno animo ei obstitit; sed etiam potestati eius se subtraxit, et universam dominationem Pontificiam, scriptis quoque libris a *Guil. Occamo*, aliisque, oppugnavit *c*).

a) *Otto Frising*, de gest. Frid. I. L. II. c. 20. coll. eiusd. Chron. L. VII. c. 27. 31. 34. *Bernh.* ep. 189. 193. 195. sq. *Günther*. Ligurin. L. III. v. 273 sq. *I. D. Koeleri* Dissert. de Arnoldo Brix. — Eodem Seculo exeunte *Ioachimus* Abbas *Florensis* vivit, cui vaticinia de Pontiff. Rom. tribuuntur. *Fabric.* l. c. p. 39 sq. Tom. IV. ed. Pat.

b) *Platina* in vita Bonifacii VIII. Bulla *Unam Sanctam* in Extravag. commun. L. I. tit. 8. c. 1. *Petri Puteani* et *Adr. Balleti* libri gallice scripti de historia huius controversiae.

c) *Alb. Argentin.* Chronic. p. 123 sq. *Henr. Rebdorf.* Annal. ad a. 1316 sq. in collect. Freher. *I. G. Herwarti* Ludovicus IV. Imp. defensus. De *Dante Aligerio*, *Marsilio Patavino*, aliisque iura Imper. contra Pontif. hoc tempore defendentibus.

§. XV.

Papae Avenionenses. Schisma ingens Pontificium.

Certe ipsi hi Pontifices eodem tempore, quo sibi omnia in Principes licere autumabant, et re ipsa significabant, ingens auctoritati suae vulnus imprudentes infligebant. Nam *Clemens V.* gente Gallus, callide suadenti *Philippo Pulchro* obtemperans, *sedem Pontificiam* Roma *Avenionem*, mediam inter Francicas ditiones, transtulit a. MCCCV. Hunc imitati successores, plerisque eti-

am

am Galli, eadem in urbe consederunt, ad a. MCCCLXXVI. quo demum *Romam rursus migrarunt* a). Sed cum omni isto tempore, quo extra Italiae fines versabantur, fere in potestate Regum Franciae essent; *in urbe* autem *Romana* maiora quotidie *potentiae suae detrimenta* experirentur: etiam redeundi consilium illis noxium fuit. Iam enim a. MCCCLXXVIII. orto inter *Cardinales* (hoc est principes Clericos Ecclesiae Romanae, ad quos solos a medio inde Seculo XI. eligendi Pontif. Ro. ius pertinebat b), dissidio, pars altera *Vrbanum* VI. altera *Clementem* VII. elegit; quorum ille *Romae* substitit, hic *Avenionem* concessit. Ita factum est, ut, creatis continuo novis horum Pontificum successoribus, non modo *inter duos divisum* esset *Pontificum* in Christianos *imperium*; sed ab a. MCCCCIX. frustra habito *Concilio Pisano*, etiam *inter tres* c). Quae res multarum turbarum caussa fuit; inprimis vero imminutae sensim dignitatis Pontiff. Ro. indignis modis sese invicem lacerantium.

a) *Trithem.* Chron. Hirsang. ad a. 1305. p. 103. T. II. ed. S. Galli 1690. fol. *Pagii* Breviar. T. II. P. II. p. 19. sq. ed. Luc. *Baluzii* vitae Paparum Avenionensium.

b) *Nicolai* II. Pont. Ro. Decretum de eligendo Ro. Pontifice, in *Murator.* Scriptt. Rer. Ital. T. II. P. II. p. 645 sq. et nonnihil diversum in *Baluzii* Miscell. L. IV. p. 62 sq. ed. Paris. *Muratorius* Diss. de origine Cardinalatus, in Antiqq. Ital. medii aevi, T. V. Conf. *Pagii* Breviar. T. I. p. 536. ed. Luc.

c) *Theodoric. a. Niem.* de Schismate universali, cum aliis eiusdem argumenti libellis edit. Argentor. 1609. 8. *Platinae* vita Urbani VI. et seqq. Pontiff. *Trithem.* l. c. ad ann. 1378. *Petri Puteani* Historia generalis Schismatis Eccles. gallice scripta, Paris. 1654. 4. De concilio Pisano, *Trithem.* l. c. ad a. 1408. 1409. *Harduin.* et *Mansii* Acta Concilior. ille Tomo VIII. hic T. Suppl. et *Infantii* (Lenfant.) Hist. Conc. Pisani, gallice edita.

§. XVI.

§. XVI.

Concilii Constantiensis et Basileensis acta.

Invento tandem adversus hoc *magnum Occidentis schisma*, quod vocabant, remedio, *Concilio* nimirum *Constantiensi*, a *Sigismundo* Imperatore in a. MCCCCXIV. convocato, *liberioris* simul *sententiae de potestate Pontificia* iacta sunt quaedam ab eodem Concilio fundamenta. Condito enim singulari decreto huius argumenti, *Concilio Ecclesiae universali* omnes Christianos, et in his *Pontifices quoque Romanos, subesse*, *tres* illos, qui hoc nomine tum conturbabant Ecclesiam, abdicare se munere suo iussit, inque eorum locum *Martinum* V. substituit. *Reliquias* tamen *Schismatis* a. demum MCCCCXXVIII. exstinctae sunt *a*). Secutum est a. MCCCCXXXI. *Concilium Basileense*, quod eadem mente, licet dispari successu, potestati suae Pontifices subiecturum, *Eugenio* IV. abrogavit imperium, *Felici* V. idem tribuit *b*). In eo autem Franciae profuit, quod instituendae *Sanctioni Pragmaticae* in eo regno a. MCCCCXXXVIII. favit *c*).

a) *Trithem.* l. c. ad a. 1413. 1414 sq. Scriptores alii veteres et monumenta permulta ad historiam huius Concilii spectantia leguntur in *Herm. Hardtii* Magno oecumen Constant. Concilio, Helmst. 1706. f. 6. Voll. edito. Adde *Richer.* Hist. Concil. general. L. II. c. 3. et *Infantii* Historiam Concil. Constantiensis; gallice scriptam.

b) *Aeneae Sylvii* Libri III. de Concilio Basil. *Trithem.* l. c. ad a. 1431. *Harduini* Acta Concil. Tom. VIII. *Mansii* Supplem. T. IV. sq. *Richer.* l. c. L. III. *Infantii* Hist. belli Hussit. et Concil. Basileensis, quam patria sibi dialecto scripsit.

c) Exstat in *Harduin* Concil. T. VIII. Conf. *Richer.* l. c. et auctorem Historiae iuris publ. eccles. Francicae, quaternis editae lingua gallica, T. I. p. 415 sq.

XVII.

§. XVII.

Reformationis ecclesiasticae desiderium Pontiff. Ro. moribus inflammatur.

Maiora etiam ab his Conciliis exspectanda videbantur, cum *Reformationem Ecclesiae in capite et membris*; cuius desiderio innumeri per orbem christianum flagrabant *a*), pollicita, leges nonnullas satis probandas de emendandis Pontificum Roman. actis, deque aula eorum et reliquo Clero ad meliorem frugem revocando, ferrent. Sed cum ista invitis Pontificibus Ro. statuerentur, facile hi effecerunt, ut neque longius progrederentur hi conatus, neque leges illae observarentur. Non tamen cautius agere docti, etsi nonnumquam essent inter eos viri docti et prudentes, ut medio Seculo XV. *Nicolaus* V. *b*) et *Pius* II. *c*) antea *Aeneae Sylvii* nomine clarus, quorum ille a. MCCCCLV hic a. MCCCCLXIV. mortuus est, latissime serpens Reformationis desiderium morum turpitudine accenderunt. Certe *Alexander* VI. ab a. MCCCCXC. Pontifex Romanus, dominandi libidine, crudelitate, perfidia, et voluptatibus foedis infamis, veneno, quod aliis paraverat, periit a. MDIII *d*); *Iulius* II. autem, ab a. MDIV. ad a. MDXIII. Romanae cathedrae praeses, impotentioris etiam ferociae et militaris animi vir, Italiam omnem et partem reliquae Europae bellis ac turbulentis consiliis exagitavit *e*).

a) Docuit hoc multis exemplis *Flacius* in Catal. testium veritatis; docet Reformatorium in Concilio Constant. propositum, alia. Conf. *Po. Damiani* opuscula. *Io. Gersonis* liber de auferibilitate Papae ab Ecclesia, et alii, de quibus C. III.

b) *Platina* in vita eius, et de eadem *Manettius* apud *Murator*. Script. R. Ital. T. III. P. II. Concordata cum Natione Germ. ann. 1448. ab eo confirmata in *Leibnit.* Cod. Iur. gent. diplom. T. I. p. 396 sq.

c) *Platina* et *Io. Ant. Campanus* de vita eius, inprimisque *Io.*

Io. Gobelini Commentarii. Opp. pleraque edita sunt Basil. 1571. fol. historica et geographica Helmst. 1699. sq. 4. et Epistolae maxime memorandae Norib. 1496. 4.

1) *Io. Burcardi* Diarium, in *Eccard*. Corp. hist. med. aevi, Voll. II. *Guiccard* Hist. sui temporis, L. VI. p. 549 sq. vers. lat. T. 1. *Onuphr. Panvin*. in vita Alex. VI. *Alex. Gordoni* de eadem liber. ex anglosax. francice versus — De *Paullo* II. *Sixto* IV. et *Innocent*. VIII. qui eum regnando antecesserunt, *Platinae* et *Panvinii* vitae.

2) *Guicciard*. l. c. L. XI. p. 4 sq. *Panvinius* in vita eius, et de eadem *Baelius* in Lex. histor. et *Bosius* in hist. foederis Cameraeensis, libris gall.

CAPVT III.

Historia mutationum, quas Religio Christ. passa est.

§. I.

Religio omnis ad arbitrium Cleri composita.

Haec tanta *Romanorum Pontificum* et universi *Cleri Occidentalis* Ecclesiae *potentia* non modo libertatem Christianorum omnem prostravit; sed etiam *variores* de religione *sententias* aut prorsus *abolevit*, aut ita *vitiavit*, ut nullius prope usus essent. *Vtebantur* enim illi *religione* christiana *veluti terriculamento quodam* ad coërcendos, terrendos, et puniendos, quicumque mandatis suis obedire nollent. *Superstitiosam pietatem* tanto maiores quotidie progressus facere iubebant, quanto certius illa *praesidium dominationis* suae in Christianos offerebat. Denique cum *decreta de religione ab unius hominis*, hoc est, Romani Episcopi, *arbitrio* iam *penderent*: *obsequium* et servilis metus Christianorum *in locum fidei et scientiae* successerunt; ut adeo pauci doctores impune mutarent praecipua doctrinae capita. *Christiani*

Ori-

Orientes etsi nequaquam ab uno Episcopo fa
religionis suae acciperent, doctrinae etiam t
gicae paullo plus apud eos quem in Occide
peresset; tamen et ipsi ad mandata Clerici i
enda parati, et superstitione pressi, a vera r
nis christianae indole magis in dies desciven

*) De vi et *potestate Conciliorum* huius aevi in d
religione. Vana *Symboll. veteris Ecclesiae* n
Crescens in immensum *auctoritas Patrum*, di
DD. Eccl.

§. II.

Superstitionis immensa mole obscur

Sanctarum quidem *caerimoniarum*, qui
ercitium religionis fere absolvebatur, ea co
boravit Ecclesia, ut, quo progrederentur u
vix haberent *a*). *Cultus imaginum Sanctoru*
modo *in Orientali Ecclesia*, post diversas
tudines, restitutus est a *Theodora* Augusta,
a. DCCCXLII. Concilio Constantinopolita
sed etiam *inter Occidentales*, frustra renit
doctoribus quibusdam *c*), eodem fere te
pristinum honorem recuperavit, et vehen
auctus est *Corporibus*, aliisque *Reliquiis C*
Apostolorum, et ceterorum *Sanctorum* inven
transferendis et veneratione publica prosequ
quibus, etsi *manifesta fraus* in his thesauris
us, *dubitationis plurimum* fere semper su
ita intenti erant Christiani, ut summam reli
in eo collocatam crederes *d*). *Novi* in dies
nascebantur ex monastica vita aliisque caus
ad certae disciplinae regulas creabantur, se
nonizabantur: quod ius *solus* sibi *Ro. Epis*
vindicavit *e*). Pietas in *Mariam virginem* in
biles fere accessiones nacta est *f*). Ortum
Sabbathum Marianum g), et *Rosarium*, seu s
rulae precatoriae *h*); instituti *festi dies* innum

peregrinationes ad loca sancta, in primis Palaestinae, nobilissimae poenitentiae speciem referebant *k*). *Aes campanum* consecrari, vulgo baptizari, iusserunt Pontiff. Romani *l*). *Iubilaei Romani* cum fructu *Indulgentiarum Pontificiarum*, ...ae et *plenariae*, natales vidit oriens Seculum XIV *m*). Sed maxime *monastica sanctitas*, qua nihil sublimius noverant Christiani, hoc tempore summum culmen attigisse visa est: atque inde *nova* quotidie *praesidia* petebantur *n*).

a) Legendi Scriptt. de *Officiis divinis*, quorum libri Paris. 1610. fol. collecti exstant, v. c. *Walafridus Strabo*, Sec. IX. incertus auctor *Micrologi* Sec. XI. *Guil. Durandus*, s. *Dnranti*, Sec. XIII. E Graecis *Codinus*. *Simeon Thessalon*. alii.

b) *Theod. Studitae* Antirrhetici III. contra Iconomachos. Libellus Synodicus in *Fabric*. Bibl. Graeca, Vol. XI. p. 253. *Labbei* Concil. T. VII. p. 1782. coll. *Spanhem*. Hist. Imagg. p. 531—604.

c) v. c. *Agobardus* et *Claud. Taurinensis*, mort. ante a. 840. cuius fragmentum Apologetici de cultu imagg. exstat in *Goldasti* Collect. Constitt. Imperiall. T. I. Eadem habet Acta Coacilii Paris. a. 825. inconolatriae oppositi, p. 154 sq. conf. *Spanhemium* l. c. p. 605 sq.

d) v. c. S. Lancea, apud *Sigeb. Gembl.* ad a. 929. Sanguis *Christi*, apud *Herm. Contr.* et *Marian. Scot.* ad a. 923. Lacryma *Christi* Vindoc. Pars catenae *Petri* Apost. cum capillis eiusdem, et sanguine *S. Stephani*, et pars craticulae *S. Laurentii*, et multa martyrum corpora apud *Sigeb.* ad a. 969. *Lauretana domus*, extremo Sec. XIII. in Italiam deportata. *Raynald*. Ann. ad a. 1291. 1294 sq. et *Tursellini* ac *Berneggeri* de ea fabula libelli contrarii. Conf. *Dallaeum* de obiecto cultus religiosi Latinorum, p. 674 sq. *Launoii* Dissert. de variis Sanctis, et *Mabillonium* de Sanctis ignotis.

e) De Canonizat. *Udalrici* August. v. *Harduini* Concil. T. VI. P. I. Concil. Lateran. III. a. 1179. ib. P. II. *Papebrochius* et *Benedictus XIV*. de canonizatione. *Usuardi* et aliorum *Martyologia*. *Simeonis Metaphr.* et aliorum *Vitae Sanctorum*.

f) Maxima auctore *S. Bonaventura*, mort. a. 1274.

g) Confirmavit *Urbanus II.* in Concil. Claromont. a. 1096.

h) *Mabillon*. Praef. ad Sec. V. Act. SS. Ord. S. Bened.

i) v.

i) v. c. Festum omnium animarum, de cuius inq gine v. *Sigebert.* ad a. 998. Corporis Christi, cu

k) *Lamb. Schaffnab.* ad a. 1064 sq. alii.

l) *Baron.* Ann. ad a. 968. Fieri noluerat *Carolu*

m) *Cardin. S. Georgii* Relatio de Anno Iubil. in B max PP. T. 25. *Platina* in Bonifacio VIII. C VI. et Sixto IV. qui hoc Iubilaeum ad annos 2 xit Conf. inprimis elegantem et accuratum libru *Casti* (Chais), Epistolas de Iubilaeis et Indul Tomis 3. gallice scriptas.

n) Stigmata *S. Francisci*, et impius *Liber Confor* S. Francisci, *Scapulare Carmelitarum*, alia. — I *diciis Dei s. Ordaliis.*

§. III.

Novis aucta dogmatibus a catholici

Erant autem hi ritus et virtutis christi quae credebantur, exercitationes, *signa et* i *menta* gravissimorum in religione *errorum*, sensim Ecclesiam invaserant. In quibus pri fere fuit sententia *de venia peccatorum* a Dei *satisfactiones humanas*; caerimoniarum mole sedulitatem, mala corpori inferenda, et *sa rum* virorum *preces*, obtinenda. Itaque e *Flagellantium* nova et tristis pietas orta est XIII. qua Numen divinum placaretur *a*). I gentiis tuendis, *thesaurus bonorum operum* i tus est eodem Seculo *b*). Cum Missae priv satis iam foedarent *Eucharistiam*, nunc ea novis corruptelis obnoxia fuit. *Transsubsta tionis* dogma et vocabulum barbarum ab *I centio* III. P. Ro. a. MCCXV. in Concilio Lat nensi, in usus Ecclesiae consecratum *c*). Inde *adoratio panis eucharistici* secuta, quam idem ror, commendantibus doctoribus, suasit *d*). eodem fonte, accedentibus tamen et aliis caus fluxit sententia, *laicis*, contra quam Christus i tuerat, *solo pane eucharistico utendum esse*; e

v

vero dogma Ecclesiae esse iussit demum Concilium Constantiense *e*). Doctrinam de *septem Sacramentis* a Seculo inde XII. ignorantia veteris sermonis ecclesiastici, et quaedam consilia singularia peperunt *f*). *Mariam Virginem contagit peccatorum naturalis exsortem* fuisse, multi ab eodem Seculo tradiderunt: quae opinio sensim veriora docentes amicorum copia vicit *g*). Ut Christiani per Occidentem omnes conscientiam et vitam imperio Cleri obnoxiam haberent, *Confessionis auricularis* necessitatem idem ille *Innocentius*, de quo dictum est, in Concilio Lateranensi sanxit *h*). Reliqua quibus superior iam aetas gravis fuerat purae religioni, ut commentum de *Purgatorio*, cet. nunc omnia graviora et turpiora. *Fictis* autem *miraculis* et *visis* ac *revelationibus* divinis, quidvis facile persuasum Christianis *i*). Sed satis ad novam a Christiana alienissimam religionem imperandam valebat sententia *de infinita Episcoporum Ro. auctoritate*, et *iudicio* de rebus fidei *falli nescio*: quo dogmate nihil ad evertendam religionis christianae simplicitatem efficacius constitui potuisset.

a) *Raynald.* Annal. ad a. 1260. *Aeg. Boilaei* et *Chr. Schoettgenii* Hist. Flagellantium.

b) Auctore *Thoma Aquinate Clement.* VI. Constitut. Unigenitus inter Extravagg. Communes L. V. 1. 9. c. 2.

c) Vestigia vocis apud *Pet. Blesens.* ep. 140. et *Hildeb. Cenom.* Opp. p. 513. 719. Imo de *commutatione* panis in *substantiam* Christi, iam *Fulb. Carnot.* ep. 1. p. 10. et alii Concil. Later. apud *Harduin.* Concil. T. VII. Conf. *Io. Cosini* Hist. Transsubst. Papalis. Lond. 1675. 8. et *I. A. Ernesti* Anti-Muratorium. p. 37 sq.

d) *Honorii* III. decretum in Decretal. Greg. IX. L. III. t. 41. de celebr. Miss. c. 10. *Naucler.* Chron. ad a. 1240. Conf. *Matth. Larroquii* Hist. Eucharist. gallice scriptum, p. 848 sq. et *I. G. de Lith* Disquis. de adorat. panis consecrati, et interdictione S. Calicis Euchar.

e) *Hugo de S. Vict.* Specul. de myster. Eccles. c. 7. *Petr. Lomb.* Sent. L. IV. dist. 11. Memorabilis *Paschalis* II. sanctio in *Baron.* Annal. ann. 1118. Concil. Constant. Sess.

Sess. XIII. Concil. Basil. Sess. XXX. *Larroquius* l. c. p. 241 sq. *de Lith* l. c.

f) Inde a *Lombardo* et *Pe. Blesensi* plures docuere: lege publica Ecclesiae hoc aevo nondum istud dogma confirmatum est.

g) *Bernhardi* ep. 174. contra eam sententiam disputans. Dominicanorum et Franciscanorum super ea lites. Approbavit Concil. Basil. Sess. XXXVI.

h) C. omnis utriusque sexus in Decretal. Greg. IX. L. V. 1. 38. c. 12. Conf. *Dallaeum* de sacramentali s. auric. Latin. confess. p. 6 sq.

i) Miracula ad firmandam transsubst. et coelibatum clericorum patrata v. apud *Guil. Malmesb.* de reb. gest. Anglor. L. II. c. 9. et de gestis Pontiff. Angl. L. I. Reliquiae per visa patefactae: apparentibus defunctorum animabus purgatorium commendatum. De S. *Brigitta* et S. *Catharina Senensi*, Sec. XIV.

§. IV.

Oppugnata ab haereticis, vel qui haeretici habebantur.

Huius dogmatis et corruptae Christianorum doctrinae reliquae fautores haec istius vitia adeo non agnoscebant, ut potius, si quam labem contraxisset, eam ab *haereticis* suae aetatis repetendam clamarent. Horum enim *ingentem numerum* quovis fere Seculo surgere non modo querebantur; sed etiam eosdem *scriptis*, *legibus*, *poenis ecclesiasticis*, et *suppliciis capitalibus* opprimere conabantur *a*). Fuerunt etiam homines et sectae per hoc aevum, de religione, certe capitibus quibusdam illius, prave sentientes, quantum quidem ex adversariorum, quos plerumque iniquiores experti sunt, scriptis iudicari potest; ut orti superiore aetate *Pauliciani* in *Oriente*, Seculo IX. et sequentibus; sed iam e Graecorum Imperio ad Saracenos fugientes *b*); a Seculo autem XI. etiam *Occidentalem Ecclesiam*, si fas est credere, turbantes, ubi *Catharorum* (verius forte *Chazarorum*)

rum) nomine a Seculo maxime XII. florebant *c*). Multo tamen plures fuere, qui vel φαντασίᾳ lapsi sunt, ad *fanaticos*, et *somniorum ingenii* luxuriantis vel severioris *captatores* referendi; vel immatura *subtilitate* rebus divinis aptata. Priori generi adsignandos esse *Anthropomorphitas* Seculi IX. in Italia superiore *d*); — *Fratricellos*, *Spirituales*, *Beghardos*, *Fratres et Sorores liberi spiritus*, *Lollhardos*, et similis commatis homines, Seculo XIII. et XIV. per Italiam, Germaniam, Belgium, et Galliam fusos, in nonnullis etiam non male sentientes *e*); — in Oriente autem, Seculo XIV. *Hesychastas* seu *Palamitas*, de luce divina et quiete animi multa fingentes, defensos a *Palama*, Archiepisc. Thessalonicensi, oppugnatos a *Barlaamo*, monacho Calabria oriundo *f*), dubio caret. Ex altera classe Sec. XI. *Roscelinus*, Compendiensis Gallus *g*), Sec. XII. *Abaelardus* *h*), et *Gilb. Porretanus* *i*), de eadem gente, haereseos notam contraxerunt argutius de natura Dei disputantes.

a) De caussis *obscuritatis* numquam satis tollendae *in hist. haeresiolog.* huius aevi, etsi ea multum lucis acceperit post alios per *Moshemium*, Institt. Hist. Eccl. ant. et recent. Historia item Sectae Apostolorum, (cuius libri germ. legenda inprimis praefatio), et per *Io. Conr. Fueslinum*, Hist. eccles. et haeresiol. medii aevi, Tomis tribus, opere germanico.

b) *Petri Siculi* Hist. Manichaeor. Ingolst. 1604. 4. ed. *Photius* L. I. contra Manich. *Cedren.* Compend. Hist. et *Zonar.* Annal. L. XVI. XVII.

c) *Car. Plessii Argentarii* (*d'Argentré*). Collect. iudicior. de novis erroribus, T. I. P. I. p. 5 sq. *Bern. Monetae* Summa adversus Catharos et Waldenses. *Rayn. Sachoni* Summa de Catharis et Leonistis. De nominibus *Paterinorum, Publicanorum*, cet. — De *Petro de Bruis et Henrico* discipulo. — De *Bogomilis*.

d) *Sigeb. Gembl.* ad a. 939. *Ratherii* Opp. apud *Dacherium*.

e) v. dicta ad C. II. §. 13. not. b.

f) *Io. Cantacuz.* Hist. L. II. c. 39. *Niceph. Gregor.* Hist.

Byzant. L. XI. c. 10. De *Palama* et *Barlaamo*, *Fabric.* Bibl. Gr. Vol. X.

g) *Anselm. Cantuar.* Libro de fide Trinitatis, quem ei opposuit.

h) *Bernhardus* ep. 192. et aliis locis plurimis. Alia omnia habet *Pe. Cluniac.* ep. ad Helois. Scriptt. de Abael. supra laud.

i) *Otto Frising.* de gest. Frid. I. L. l. c. 46 sq. *Matth. Paris* Hist. maior. p. 64. ed. Turic.

§. V.

Frustra emendata a Valdensibus Sec. XII.

Sed non modo *liberalior in haeretico convicio tribuendo* fuit haec aetas, et atrocior in vexandis iis, in quos suspicio huius culpae cadebat; sed eo potissimum reprehendenda et infelix, quod eos quoque, qui *verioris et antiquae religionis restaurandae* cupiditate flagrabant, tamquam haereticos et mortalium pessimos, insectabatur: verbo omnes, qui doctorum huius temporis decreta respuebant. Haec ergo sors mansit Seculo XII. et proximis *Valdenses*, qui auctore *Petro Valdo*, Lugdunensi Gallo ab a. fere MCLXX. claro, displicere sibi Pontificum Ro. dominationem, Cleri divitias, Missas solitarias, cultum Sanctorum, et quidquid novae religionis locum antiquissimae illius, quam e sacris litteris restitutam volebant, occupaverat, publice profitebantur, secuti in eo *Vallium Alpinarum* incolas, qui iam inde a Seculo VIII. corruptam Christianorum religionem quaerebantur. *Valdenses* partim per Franciam australem diffusos, ubi et pars eorum ab *Albigensi* tractu *Albigenses* dicti sunt, partim in Italiam profugos, et *Vallensibus* mixtos, ita exagitarunt Pontt. Ro. eorumque satellites, legibus, poenis et bellis adeo adversus eos suscitatis, ut, innumeris trucidatis, vix quaedam eorum reliquiae in Pedemontanis vallibus servatae ad hunc diem fuerint *).

*) Ano-

*) Anonymus de haeresi Paupp. de Lugduno in *Martenii* Thes. Anecd. T. V. *Moneta* et *Sachonus* libris laudatis. *Argentarius* l. c. *Io. Legerii* Hist. generalis Eccle- siar. Valdenss. e gallico germanice versa. De nominibus Valdenss. variis, ac discrimine inter eos et Albigg. De bello Albigensi supra C. I. §. 13.

§. VI.

A Viclefitis Seculo XIV.

Non minus bene de religione, inprimisque Scripturae S. studio restituendo mereri conatus est exeunte Seculo XIV. *Iohannes Wicliff*, seu *Wiclefus*, Theologiae Doctor et minister sacrorum Anglus, a MCCCLXXXVII. defunctus, qui primus, adornata *sacrarum litterarum versione anglosaxonica*, cives suos ad fontes verae religionis reduxit, *Pontificiam tyrannidem*, Ordines monasticos, inprimis *Mendicantes*, Missam, Transsubstantiationem, et his similes *doctrinae* et *ecclesiae corruptelas* vehementer oppugnavit; ab hostibus tamen suis non oppressus, et multos nactus sectatores. Sed et isti post fata eius durius habiti, et ossa eius longo post tempore cremata sunt *).

*) v. Errores Io. Wickliff, et monumenta ad hanc haeresin pertinentia in *Argentarii* Collect. iudiciorum de novis erroribus, T. I. P. II. p. 1—59. Dialogorum eius LL. IV. recusi sunt a. 1753. Norib. 4. N. Test. versio Angl. Lond. 1731. f. per *Io. Ludovicum* (Lewis) qui et vitam eius scripsit patria dialecto. Eamdem enarravit *Guil. Gilpinius*, cuius libellus et ipse iam germanice legitur. Adde *Infantii* Hist. Concil. Constant. L. II. c. 57 sq.

§. VII.

Et Seculo XV. Hussitis.

Eius vestigia quodammodo pressit *Iohannes Hussus*, Bohemus, qui theologiam in Vniversitate

multas molestias, quas toleravit, exul obiit a. MLXXXVIII c).

a) *Godeschalci* duae professiones fidei, in *Iac. Userii* Hist. Godeschalci, p. 321 sq. et in *Gilb. Mauguini* vet. auctorum, qui nono Sec. de praedestin. et gratia scripserunt, Opp. et fragmentis, T. I. p. 7. *Rabani Mauri* Epistt. tres de praedest. Dei, in *Sirmond.* Opp. et alia. *Hincmari Rhem.* Dissert. de praed. Dei et libero arbitrio, aliaque. De Concil. Mogunt. et duobus Carisiacensib. *Harduin.* Concil. T. V. Ex amicis Godeschalci, *Remigii Lugdun.* liber quatuor Capitt. Carisiac. oppositus, apud *Manguinum*; *Servatus Lupus* de tribus quaestionibus, et PP. Synodi Valentinae a 855. apud *Harduin.* l. c. Add. *Lud. Cellotti* Hist. Godesch. et Hist. litt. Franciae, T. V.

b) *Paschasii* librum optime ed. *Martenius* Collect. amplian. monum. T. IX. Opera *Sirmondus* collegit. De eo *Fabric.* et Hist. litt. Franc. II. cc. qui etiam de *Ratramno* legendi, cuius libri editt. contrariae, Paris. 1672. 4. et 1712. 12. oppositaeque sibi versiones, gallica et anglica, inprimis memorandae. Conf. *Edm. Albertinum* de Eucharistia, et *Larroguium*, aliosque supra laudatos ad §. III. not. c.

c) Praeter epistolas Bereng. v. c. in *Labbei* Concil. T. IX. p. 1054. legenda inprimis, quae de Concil. Romano a. 1078. tradidit apud *Marten.* Thes. Anecdot. T. IV. p. 99. et maxime omnium excerpta e libro eius adversus *Lanfranci* opus de Corp. et Sang. I. Chr. in *Lessingii* Bereng. Turonensi, germanice edito Brunovici, 1770. 4. De Conciliis in caussa Berengar. habitis ab a. 1050. ad a. 1078. *Harduin.* Concil. T. VI. P. I. Conf. *Mabillon.* Diss. de multiplici Ber. damnatione, *Fabric.* Bibl. Gr. Vol. XI. et Bibl. Lat. med. et inf. aet. Hist. litt. Franc. T. VII.

§. IX.

Aliae inter Graecos et Latinos, Schismate tandem divisos.

Insignis etiam controversia, sed tristissimi exitus, *Orientalem* et *Occidentalem Ecclesiam* in mutua odia, per omnem hanc aetatem, inflammavit. Quae enim iam superioribus seculis *Romae* vete-

veteris et novae Episcopos disiunxerant lites de auctoritate et iurisdictione eorum, eae nunc acerbius tractatae sunt, latius ad utramque Ecclesiam serpserunt, et religionem attigerunt ipsam. Accessit inprimis *Photii,* Patriarchae Constantinopolit. cum Romanis Episc. contentio ab a. DCCCLVIII. Qui cum illum repudiarent, et anathemate ferirent, non modo paria reddidit; sed etiam publice universam Ecclesiam Romanam multorum errorum postulavit. Erant inter hos pleraeque de caerimoniis et institutis quibusdam concertationes, ut de *ieiunio sabbathi*, de *coniugio sacerdotum*, et his similes. Una tamen de fide disputatio admixta erat; orta illa iam superiori aevo, quaestio nimirum *de processione Spiritus S. a Filio Dei.* Ab hoc tempore dissidium inter utramque Ecclesiam odio *Photii*, superbia Roman. Potiff. altercationibus novis, ut cum *Mich. Cerulario*, Patriarcha Constantinopol. Seculi XI. libellis innumeris scriptis et a Graecis, et a Latinis, aliisque rebus ita auctum et amplificatum est, ut brevi insanabile videretur *).

*) Scriptt. de *Photio* supra laudati. *Eiusd.* epist. 2. 3. 6. ed. Montac. *Nicolai* I. Ep. R. epistolae, in *Harduin.* Concil. T. V. et ibidem *Nicetae* vita Ignatii, itemque Acta *Conciliorum* in hac caussa habitorum Constantinop. a. 861. 869. 879. et Romae a. 863. *Anastasius* in Nicol. I. et Synodicon apud *Fabric.* Bibl. Gr. Vol. XI. p. 253 sq. — De *Cerularii* lite, eius et Leonis IX. P. P. epistt. in *Baron.* Annal. ad a. 1055. *Harduini* Conc. T. VI. P. I. et plura huius generis in *Canis.* Lectt. ant. T. III. P. I. p. 277 sq. ed Basn. ut *Humberti* Card. lib. de azymis et ieiunio Sabb. — Conf. *I. G. Walchii* Hist. controversiae de process. Spir. S. *Io. Gottfr. Hermanni* Hist. concertationum de pane azymo et fermentato in Coena Dom.

§. X.

§. X.

Vana de iis inter se reconciliandis consilia.

Graecorum animis a Latinis etiam per bellorum sacrorum occasionem, et expugnatam ab his post initia Seculi XIII. Constantinopolin, magis alienatis *a*), nulla reconciliationis inter utrosque spes affulsisset, nisi post recuperatam medio Seculo eodem a Graecis Constantinopolin, *Turcae* magis in dies metuendi ipsis incubuissent. Itaque iam a. MCCLXXIV. in *Concilio Lugdunensi abiuratum* est *schisma* a legatis Graecae Ecclesiae *b*). Sed cum ea concordia brevis temporis et auctoritatis esset, novi *conatus henotici* Seculo XIV. et XV. suscepti sunt a Graecis, maxime aula Constantinop. Qui hunc successum quidem habuerunt, ut a. MCCCCXXXIX. in *Concilio Florentino*, antea *Ferrariensi*, praesente ipso Imperatore Graeco, *Iohanne Palaeologo*, *unio* illa *inter utramque Ecclesiam* tamdiu desiderata stabiliretur, Graecis, qui cum eo aderant, processionem Spiritus S. a Filio, Primatum Pontificis Ro. et Purgatorium agnoscentibus. Sed repudiante eam reliqua Ecclesia Graeca, quae Episcopi Ro. imperio subesse nollet, rursus irrita fuit *c*). Unde etiam paullo post *Constantinopolis*, Occidentalium Christianorum auxiliis nudata, et cum ea, pars nobilissima Ecclesiae Graecae, in *Othmanidarum potestatem venit*.

a) *Villehardnini* Hist. Constantinopolis sub Imperatt. Francis, gallice scripta, cum observatt. *Car. Fraxineti* (*du Fresne*, inter Scriptt. Histor. Byzant. e quibus etiam *Nicetas Choniatas*, *Nicephorus Gregoras*, et *Georg. Acropolita* huius loci sunt. Add. *Balduini* Imp. epistolam apud *Arnold. Lubec.* L. VI. c. 20.

b) *Harduini* Conc. T. VII. *Georg. Pachymer.* Hist. Byz. L. VI. *Niceph. Gregor.* L. V. *Leonis Allatii* Opera: de perpetua consensione Eccles. Orient. et Occident. itemque Graeca Orthodoxa, utilia quidem in hac parte historiae; sed mala fide scripta. De *Io. Vecco*, *s. Becco*,

ca, Patr. Constantinopol. cuius libri in Graecia Orthod. leguntur, *Fabric.* B. Gr. Vol. X. p. 340 sq.

c) *Harduin.* Concil. T. IX. *Sylvestr. Sguropuli* Hist. Concil. Florent. Hag. Com. 1660. f. eique oppositae *Allatii* Exercitt. — De *Marco* et *Iohanne Eugenicis*, aliisque Graecorum scriptoribus, Latinae Ecclesiae oppugnatoribus, ut *Nilo Cabasila*. Sec. XIV. cuius et *Barlaami* quaedam leguntur ad calcem operis *Salmas.* de Primatu Papae Conf. *I. R. Kiesingii* Hist. concertat. Graecor. Latinorumque de Transsubst.

§. XI.

Theologia huius aevi, inprimis Scholastica et Mystica.

Ex his controversiis et religionis statu universo, *qualis theologia* fuerit horum Seculorum, facile intelligitur. Nitebatur enim fere *auctoritate* antiquiorum *doctorum*, nec *doctrinae*, nec *libertatis* praesidia veriora desiderans. Graeci *excerptis* et *Catenis Patrum* confisi *a*), Latini *Augustino*, *Beda*, aliisque ducibus, unice Script. S. interpretabantur; effingebantur *allegoriae* innumerae; *Glossa interlinearis*, *Concordantiae*, aliaque abscurae diligentiae monumenta surgebant: graecarum et hebraicarum litterarum scientia tantum non omnes latini interpretes carebant *b*). Neque tam ex hoc fonte derivabantur *dogmata theologica*, quam e *doctorem* et *conciliorum decretis*. Similis autem *defendendae religionis* peritia, non modo ad *rixandi libidinem*, sed etiam ad *vim ultimam* descendit. *Theologia* quidem *Scholastica* ingenii *subtilitatem* et acumen religioni explorandae accommodans, egregiae *libertatis* exemplar prae se ferebat. Sed quamvis theologi ex hoc genere *quaedam satis commode philosopharentur* de dogmate christiano; multo tamen magis hoc agebant, ut illud *argutiis* et *quaestionibus* onerarent. Sane non ad accurate cognoscendam et emendandam reli-

religionem, sed ad confirmandam formam eius quae tum vigebat vitiosam, studia sua conferebant: *interpretationis SS. litterarum negligentes*, *a litteris* omnino *non instructi*, *in dicendo barbari*, denique inter se *discordes* et *contentiosissimi*. *Aristotelis* etiam *philosophiam* a Seculo XIII. in ipsa penetralia theologiae receperunt c). *Meliores Scholasticis Mystici* eo fuerunt, quod non modo ab illorum tricis abhorrerent; verum etiam christianae pietatis exemplum e sacris litteris peterent, et superstitiosae praeponerent. *Alieni* tamen cum essent *a philosophia et doctrina meliore*, et *phantasiae* indulgerent liberalius: multa obscure, confuse et ad fallendos speciosis imaginibus animos apte effuderunt d).

a) *Tho. Ittigius* de Biblioth. et Catenis PP. *I. A. Fabricius* de Catenis PP. Graecorum, Bibl. Gr. Vol. VII. p. 727 sq.

b) *Walafr. Strabo* Glossa interlin. *Hugo de S. Caro* Concordd. auctor habetur. *Apocalypseos Iohanneae* interpretatio nova a Sec. XIII. *LL. Apocryphi* canonicis adiuncti.

c) *Iac. Thomasius* de origine Theolog. Scholasticae, in *Christ. Thomasii* Hist. sapientiae et stultitiae. *Adam. Tribbechovii* de DD. Scholasticis liber, ex edit. *Heumanni*. *Mabillon*. de Studiis monasticis.

d) *Pseudo-Dionysii Areopag.* libri in Occid. Ecclesia florent a Sec. IX. De *Io. Scoto Erig.* et *Rich. a S. Victore* utramque theolog. coniungentibus. De *triplici via* Mysticorum.

§. XII.

Emendandae religionis necessitas patefacta. Vis eius in animo et moribus Christianor.

Has inter salebras veluti iactata hoc tempore religio christiana habuit quidem non raro, praesertim postremis Seculis huius periodi, amicos sapi-

sapientes, bene animatos, eique succurrere certos, ut, praeter eos, qui iam laudati sunt, *Iohannem Gersonem*, Acad. Parisiens. Cancellarium, m. a. MCCCCXXIX *a*); — *Nicolaum* de *Clemangis* Theologum Parisinum, m. post a. MCCCXXX. *b*); — *Io. Wesselum*, doctorem Groeninganum, m. a. MCCCCLXXXIX *c*) — *Hieron. Savonarolam*, Dominicanum, supplicio adfectum Florentiae a. MCCCCXCVIII *d*); et alios, quos *testes veritatis* vulgo appellant *e*). *Neque* tamen emergere ad pristinum honorem potuit religio, vel satis *praestare vim sibi propriam*, ut sanctiores et emendatiores redderet mortales. Mores enim Christianorum *fucatae et fictae pietatis* speciem induerant. *Disciplinae*, cuius nervis olim constringebatur, *nulla* iam fere *potestas*: poenae enim illae ecclesiasticae terribiles, quas Clerus statuebat, non vitae probitatem; sed servilem subiectionem adiuvabant *f*). Denique *talis* erat *religio huius aetatis*, *ut vitiis* potius *faveret*, quae non modo nova et facili ratione expiare docebat; sed frequenter etiam commendabat, modo caussam Ecclesiae eiusque doctorum tuerentur. Ita Christianorum dogma, post mille quingentos ab origine sua annos, e saluberrima indole in perniciosissimam mutatum fuerat.

a) *Trithem.* de Scr. Eccl. c. 755. *L. E. Pinii* Gersoniana, praefixa Opp. quae edidit a. 1706 sq. 5 Voll. fol. Antverp. h. e. in Batavis. Vita Gersonis in *Hardtii* Actt. Conc. Const. T. I. P. 4. et *Fabric.* Biblioth. Lat. med. et inf. aet.

b) *Trithem.* l. c. c. 730. *Pinius* et *Fabric.* ll. cc. *Hardt.* l. c. T. I. P. 2. Vita eius per *Io. Lydium*, Opp. eius edentem. L. B. 1613. 4.

c) *Melch. Adami* vitae Germ. Philos. *Oudin.* in Commentariis, et *Fabricius* l. c. Opp. collegit *Lydius*, Amst. 1617. 4.

d) *Io. Franc. Pici* vita H. S. aucta et illustrata a *Iac. Quetif.* Paris. 1674. 2 Voll. 8. *Huius* et *Echardi* Scriptt. Ord. Praedd. T. I. *Fabric.* l. c. vel potius ad eum *Mansius* p. 150. T. VI. ed. Patav. De eius Triumpho crucis. LL. de simplicitate Christ. cet.

e)

e) Memorabiles etiam *Petr. de Alliaco.* et *Nic. Cusanus*, eiusdem aetatis. De *cautione iudicii* de his omnibus ferendi. Vtrum *reformatio fidei* hoc tempore expetita sit?

f) Indulgentias Pontificias poenitentiae veteri finem attulisse, fatetur *Io. Morinus* de Sacram. Poenit. L. X. c. 19 sq.

TABVLA CHRONOLOGICA
PERIODI TERTIAE.

Epochae illius et vicissitudines nobiliores.

I. *Carolus* M. *Alcuinus*, et *Pseudo-Isidorus*. *Doctrinae theologicae* quaedam restauratio. *Ius Ecclesiast.* novum. *Religio* christ. *septentr.* et *orientem* Europae ingressa. *Rabanus* et *Gerbertus*. Lites de *Praedest.* et *S. Coena*. *Pontificiae dominationis* augmenta. *Foeminarum in Eccl. Ro.* imperium, *Ottones* Germ. *Photius*. *Schisma* inter *utramque Eccl.* Ab. a. DCCC-MLXXIII.

II. *Gregorius* VII. *Petrus Eremita* et *Lanfrancus*. *Imperii Pontiff. Rom.* fastigium. *Bella sacra*. *Theologiae Scholasticae* origines. *Lombardus*. *Thomas Aquina*. *Scotus*. *Theologiae Myst.* progressus. *Bernhardus*. *Transsubstantiatio*. *Septem Sacramenta*. *Confessio auric.* Ordd. *Mendicantes*. *Inquisitionis* tribunal. *Innocent.* III. et *Bonifacius* VIII. *Unio utriusque Eccles.* tentata. Ab a. MLXXIII-MCCCL.

III. *Occamus*, *Lyranus* et *Petrarcha*. *Pontificium imperium nutans*, et *melioris doctrinae* reditus in Occidentem. *Papae Avenionenses*. *Schisma* Eccl.

Eccl. Occid. Concil. *Constant.* et *Basil. Laur. Valla. Eccl. Graeca* iuris Ottoman. *Restauratio litterarum* in Occid. per Graecos. *Chalcographia. Reuchlinus.* Christ. Religio in *America. Reformationis* desiderium. *Alexander* VI. et *Iulius* II. Pontt. Ro. Ab. a. MCCCL-MDXVII.

A. C.

800 *Carolus M. Irene. Al. Raschid. Leo III. Alcuinus. Georgius Syncellus.*

802 *Irene* de solio deiecta, succedit *Nicephorus.*

804 Mors *Alcuini* et *Paulini* Aquil. *Pax* data *Saxonibus.*

806 *Nicephorus,* Patriarcha CPolit.

809 Concilium *Aquisgran.* ob lites de *processione Spiritus S. a: Filio* habitum.

811 *Nicephori* Imper. successor *Michael.*

813 *Concilia quinque* regni Francici disciplinam et ritum ecclesiast. constituunt. Mors *Richardi*, Archiep. Mogunt. *Leo Armenus* Imp. Constantinopolit. *Al Mamun* Chalipha.

814 *Carolus M.* obit *Ludovicus Pius* Imp. et Rex Franc. *Theophanes* exul. *Pseudo-Isidori* Decretales. *Eginhardus.*

815 Concilium *Constantinop. iconolatris* oppositum. *Agobardus*, Archiep. Lugd.

816 *Leonis III.* obitus; successor *Stephanus IV.*

817 *Leges ecclesiasticae* in *comitiis Aquisgr.* latae. *Paschalis* I. Ep. Ro.

820 *Michael Balbus* Imp, post occisum *Leonem.*

821 *Benedicti Anian.* et *Theodulphi Aurel.* mors.

822 *Ludov. Pii* poenitentia Attiniaci. *Corbeiae novae* et *Hervord.* coenobii origines.

825 Concilium *Parisiense* cultum imaginum reprobat. *Claudius* Taurin. floret.

826 Mors *Theodori Studitae. Ansgarius* ad Danos perfert relig. Chr.

827 *Dionysii Areop.* libri in Franciam allati. *Anse-*

A. C.

Ansegisus Abbas Fontanell. *Capitularia R. R. Francor.* primus colligit.

828 *Nicephorus*, antea Patriarcha Constantinopol. obit. *Egbertus* Angliae monarcha.

829 *Michaeli* patri *Theophilus* succ. in Imp. Graec.

830 *Ludov. Pius* solio deiectus et restitutus.

831 *Paschasius Radbertus* librum de Coena Dom. scribit. Eum mox oppugnat *Ratramnus*.

833 *Ludovicus Pius* rursus regno privatur. Episcopp. et in his *Gregorii IV.* consilia. *Al Mamunis* et *Ansegisi* mors.

834 *Ludovico* regnum restituitur. Archiepisc. *Hamburg.* initia.

835 *Hilduinus* Abbas historiae S. *Dionysii* architectus. Conventus apud *Theodonis villam.*

836 *Wala*, Corbeiens. Abbas, obit. Concil. *Aquisgranense.*

839 *Eginhardus* moritur.

840 Mors *Ludovici Pii* et *Agobardi*, Archiep. Lugd. *Lotharius I.* Imper. et Rex Italiae. Huius fere temporis *Piastus*, Dux Poloniae.

842 *Theodora* Imp. Graec. administrat. Concilium *Constantinopolit. iconolatriam* restituit. *Servatus*, *Lupus*, Abbas Ferrar. *Walafridus Strabo*, Abbas Augiens.

843 *Ludovicus* German. regni Germ. auctor.

844 Mors *Gregorii IV.*

845 *Pauliciani* hoc tempore ad Saracenos confugiunt. *Hincmarus*, Archiep. Rhemens.

847 *Rabanus Maurus*, Archiep. Mogunt. Concil. *Moguntinum.*

848 *Godeschalcus* damnatus in Concilio Mogunt.

849 *Walafridus Strabo* decedit. Synodus *Carisiacensis I.* *Godeschalcum* carceri mandat.

Ra-

A. C.

850 *Ratramnus* Corbeiens. de praedestinatione scribit. *Christ. Druthmarus.*

853 Mors *Haymonis* Halberst. Synodi *Carisiac. II.* quatuor capitula. *Io. Scotus.*

855 *Lotharius I.* regno se abdicat. *Ludov. II.* fil. in Imp. Ro. et Regno Ital. succedit. Synodus *Valentina*, Godesch. amica. Narratio de *Iohanna Papissa.*

856 *Rabani Mauri* obitus. *Methodius* et *Cyrillus Moravis*, aliisque gentibus sacra christ. persuadent.

857 *Michael* Imp. Orient. capessit.

858 *Photius*, Patriarcha Constantinopolit. eiecto *Ignatio. Nicolaus I.* Episc. Ro.

860 Synodus *Aquisgran.* in caussa divortii R. *Lotharii.*

861 Concil. *Constantinop. Photio* favens. *Bulgari* christ. religionem sucipiunt.

862 *Ruricus* Russici Imperii auctor.

863 Synodus *Romana*, *Photio* opposita a *Nicolao I.*

865 *Ansgarii* mors. Hoc fere anno etiam *Paschasius Radb.* obit, et aliquot annis post, adversarius eius *Ratramnus. Nicolaus I.* falsis Decretalibus utitur pro veris.

867 *Michaelem* Imp. *Basilius Macedo* sequitur. Concil. *Constantinop.* Pontif. R. anathemate ferit. *Photius* munere deiectus.

869 *Godeschalcus* et *Otfridus* hoc fere tempore moriuntur. Concil. *Constantinopolit. Photium* damnat.

870 *Usuardus* floret.

872 *Alfredus*, R. Angliae.

875 Mors *Ludovici II.* Imp. *Carolus Calvus* Rex Franc. occid. opera *Iohannis VIII.* Papae Ro. ei succedit.

876 *Ludov. German.* obit: iam *Carolomannus* et reliqui filii in Germania regnant.

Mors

A. C.

877 Mors *Caroli Calvi. Carolomannus*, R. Ital. postea et Imp.

878 *Photius* restituitur.

880 Obitus *Carolomanni*, nec longe post *Io. Scoti. Carolus Crassus*, Imp. R. Italiae et utriusque Franciae.

882 *Hincmarus Rhemensis* moritur.

886 *Basilius Macedo* obit, et eodem fere tempore *Anastasius* Bibliothec. *Leo Sapiens* regnat. *Basilica. Photius* denuo munere deturbatur.

887 *Carolus Crassus* omnium regnorum iacturam facit. In Germanico *Arnulfus* successor.

891 Hoc aut anno superiore moritur *Photius. Formosus*, Ep. Ro.

896 *Arnulfus* coronam Imper. accipit a *Stephano VII.* P. R. Initium *turbarum* et scelerum in *Ro. Ecclesia. Ungari.* in Pannonia.

899 Patri *Arnulfo Ludovicus Infans* succedit in Germania.

900 Mors *Alfredi* Regis Angliae. *Io. Malala.*

904 *Sergius III.* P. Ro. et *Morozia.*

911 *Leonis Sapientis* et *Ludovici Inf.* mors. *Constantinus Porphyrog.* Imp. *Conradus* I. R. Germ.

912 *Notkerus*, monachus S. Galli, obit.

914 *Iohannes* X. Pont. R. et *Theodora.* Regnum *Legionis.*

915 *Regino Prumiensis* e vita migrat.

918 Mors *Conradi I.* R. Germ. *Henricus I.*

928 *Henricus* I. Rex Germaniae, *Dalemincios* subigit. *Misnens.* Marchia, et *christ. religio* in his terris. *Iohannes* X. sede deiectus.

931 *Iohannes* XI. Maroziae et Sergii III. filius. Pont. Ro.

932 *Ratherius*, Ep. Veronensis.

Otto

A. C.
936 *Otto M.* Germaniae Rex post mortem patris *Henrici.*
937 Abbat. *Quedlinburg.* natales.
940 *Entychius* Alex. Patriarcha moritur.
942 *Ode* Cluniac. et R. *Saadias Gaon* obeunt.
944 Formula *appropinquante mundi termino*, in monumentis celebrari incipit.
948 Bellum *Ottonis* M. cum *Danis* religioni christ. apud. eos recipiendae consulit. Episcopp. *Slesvic.* et alii.
951 *Ottonis* expeditio *Italica.* Mox *Berengarius* R. Ital. vasallus *Ottonis.*
955 *Olga*, Dux *Russor.* baptismo initiata.
959 *Constantini Porphyrog.* filius *Romanus* succedit.
961 *Dunstanus*, Archiep. Cantuar.
962 *Otto* M. Romae coronatur Imp. idemque Imperium et Regnum Italiae Germanico iungit.
963 *Iohannes* XII. P. R. nepos *Maroziae*, in Synodo Ro. deponitur. *Leo* VIII. in eius locum substitutus. *Nicephorus Phocas* succedit *Romano* Imp. *Luitprandus* floret.
964 *Otto* M. deiecto *Benedicto* V. restituit *Leonem VIII.*
965 *Miecislaus*, Polon. Dux, sacra christ. recipit. *Bruno*, Archiep. Colon. obit.
966 *Frodoardus* moritur.
968 Archiepiscopatus *Magdeburg.* conditur; itemque Episcop. *Merseburg.* et *Cizens.* paullo ante etiam *Misnensis.*
969 *Nicephoro* occiso, *Iohannes Zimisces* imperat.
973 *Ottonis* M. obitus. *Otto II.* fil. Imper.
974 *Ratherius Veron.* decedit.
975 *Io. Zimisces* moritur.
980 *Roswitha* floret.
983 *Ottonem II.* sequitur *Otto III.*

A. C.

987 *Wladimirus*, Russor. Dux, baptizatus. *Hugo Capetus*, Rex Franciae occid.

988 *Dunstani*, Archiep. Cantuar. mors. Primae *Russorum scholae*.

991 *Gerbertus*, Archiep. Rhemensis.

993 *Vdalricus*, August. Episc. *canonizatur* ab Episc. Ro. *Oecumenius*.

996 *Otto III. Gregorium V.* Papam constituit.

997 *Stephanus* Vngaris imperat, paullo post primus eorum Rex, idemque christianus. *Adalbertus* Episc. Prag. martyr. apud Prussos.

998 *Robertus* R. Franc. a Papa excommunicatus.

999 *Sylvester II.* Episc. Ro. antea *Gerbertus*.

1000 *Otto III. Gnesnensem* Archiep. instituit. *Witikindus*. *Aimoinus*. *Christ. religio* in *Norvegia*, *Islandia* et *Grönlandia* recepta.

1001 *Olaus R.* Sueciae primus, et idem Christ.

1002 *Ottonis III.* mors. *Henricus II.* s. Sanctus Imp.

1003 *Sylvester II.* obit. *Transilvania* christiana.

1004 *Abbo Floriac.* occisus.

1007 *Bambergensis* Episcop. initia. *Burchardus Wormat.* Episc.

1014 *Canutus* M. Rex Daniae et Angliae, *christ. religionem* stabilit in *Dania*.

1018 *Ditmarus Merseburg.* Episc. moritur.

1022 *Manichaei* in urbe *Aurelianensi*.

1023 *Romualdus*, Congregat. *Camaldulens.* auctor. Lis de *S. Martiale*.

1024 *Henricus* II. moritur; succedit *Conradus* II.

1027 *Canuti* M. peregrinatio *Romana*.

1029 *Fulberti Carnot.* Episc. obitus.

1036 *Avicenna* moritur.

1038 Mors *S. Stephani*, R. Vngar.

1039 *Henricus* III. regnat post *Conr.* II. *Wippo*.

1042 *Constantinus Monomachus*, Imp. Byz.

Henr.

A. C.	
1046	*Henr.* III. in concil. *Sutriensi* tres Pontiff. munere deiicit. *Pontiff.* Ro. e *Germanis.*
1047	*Berengarianae* controversiae intia.
1049	*Odilo,* Cluniac. Abbas, obit.
1052	Lis Germanor. cum Francogallis de S. *Dionysii* corpore.
1053	*Michael Cerularii,* Patr. Constantinopol. cum *Leone* IX. Patr. Ro. lites. Hic *bello captus* a Normannis. *Hildebrandi* auctoritas. *Nicetas Pectoratus.*
1056	*Henrici* III. Imp. mors. *Henr.* IV. minorennis.
1057	*Isaacus Comnenus* Imp. *Cedrenus. Patarini* Mediolani.
1058	*Nicolaus* II. Pont. Rom.
1059	Collegii *Cardinalium* origo. In *Synodo Rom. Berengarius* revocare cogitur, quae docuerat. *Michael Cerularius,* sede Patriarch. deiectus.
1061	*Nicol.* II. P. R. moritur, qui *Normannos* vasallos accepit. *Alex.* II. succedit inscio Imp. qui *Honorium* II. opponit.
1062	*Adelmanni,* Brix. Ep. mors.
1063	*Humbertus* Cardin. moritur.
1066	*Guilelmus,* Dux Normandiae, *Angliae* regnum occupat.
1070	*Laufrancus* Archiep. *Cantuar.* adipiscitur.
1071	*Rom. Diogenes* Imp. a *Turcis* captus.
1072	*Pe. Damianus* Card. obit.
1073	*Gregorius* VII. Pont. Ro. Ordo *Grandimont.*
1074	*Synodus Romana* adversus Simoniam et Concubinatum.
1075	*Synodus Mogunt.* de coelibatu Cleric. et *Romana* contra Investit. Cleric.
1076	Concilium *Wormat. Gregorium* munere deiicit; *Romanum* vero, Imper. excommunicat et regno privat. *Adamus Bremensis Arnulphus* Mediol. historicus.

A. C.

1077 *Henricus* IV. poenitens et suplex apud *Gregor.* VII. S. *Ladislaus*, R. Vngariae. *Robertus Guiscardus*, Dux Apuliae. *Mathildis*, Thusciae Princeps. *Lambertus Schaffnab.*

1078 Secunda professio fidei *Berengariana.*

1079 *Berengarius* in Concil. Ro. tertiae formulae subscribit.

1080 *Concilium Brixiense Clementem* III. Pont. R. constituit. *Constantinus Afer.*

1081 *Alexius Comnenus* Imp. Constantinopolit.

1084 *Henricus* Imper. *Romam* occupat. *Bruno Carthus.* Ordinis auctor.

1085 Mors *Gregorii* VII. Salerni. *Victor* III. P. R.

1086 *Anselmus Lucensis* et *Marianus Scotus* obeunt.

1088 *Berengarius Turon.* moritur *Vrbanus* II. P. R.

1089 *Lanfrancus* Cantuar. decedit.

1090 Duellum pro diversis *Officiis* Eccl. Hisp. *Ivo Carnot.* Episc.

1092 *Roscelinus* in Synod. *Suession.* dogma suum retractat.

1094 *Petrus Eremita* Romae.

1095 Concil. *Placentinum*, mox *Claromontanum.*

1096 Prima *expedit. cruciata.*

1097 *Monarchia Sicula. Hildebertus* Cenom. Episc.

1098 *Benno* Cardin. *Io. Xiphilinus. Cisterciensis* Ord. initia, auct. *Roberto.*

1099 *Hierosolyma* a Cruciferis capta. *Godofridus Bullionius*, Rex Hieros. Equites *Hospital. S. Iohannis. Vrbanum* II. *Paschalis* II. sequitur.

1100 *Michael Psellus. Bertholdus Constant. Nestor*, hist. *Russicae parens.*

1105 *Henricus* IV. Imp. solio deiectus per filium, *Henricum* V. *Philippus* R. Franciae,

A. C.	
	ciae, in Concil. Paris. *excommunicatione* solvitur.
1107	Concil. *Trecense* contra Investit. Laicor. *Theophylactus*, Archiep. Bulg.
1109	*Anselmus* Cantuar. moritur. Ordo *Fontevraldens*.
1112	Mors *Sigeberti Gemblac.*
1114	Concil. *Strigoniense* in Vngaria concedit *uxores Clericis*, qui eas duxerant ante muneris sacri initia.
1115	*Ivonis Carnotens.* obitus.
1118	*Euthymius Zigabenus*. *Zonaras*. Mors *Paschalis* II. *Templarii* Hieros. exorti.
1119	*Calixtus* II. P. R. in Concil. Rhem. *Henricum* V. anathem. ferit.
1121	*Abaelardus* in Concilio *Suession.* damnatur. *Norbertus*, Ord. *Praemonstrat.* conditor.
1122	*Concordatum Wormatiense.*
1123	Concil. *Lateranense* I. oecum. remiss. peccator. offert Cruciferis.
1124	*Otto* Bamb. Ep. ad *Pomeranos* missus, ut iis sacra *Christ.* persuadeat.
1125	*Henrico* V. *Lotharius* II. succedit. *Cosmas* Prag. moritur.
1126	*Norbertus* Archiepisc. *Magdeburg.* obtinet.
1128	*Irnerius* Bononiae docet.
1129	Regnum *Siciliae.*
1130	*Innocentius* II. Pont. Ro.
1132	*Goffridi*, Abb. Vindoc. mors.
1133	*Hildebertus Cenoman.* hoc vel proximo anno obit.
1135	*Rubertus Tuitiens.* moritur.
1136	Festum *conceptionis Mariae* Virg. reprobat *Bernhard.* Clar.
1137	Mors *Lotharii* Imp. *Conradus* III. successor. *Niceph. Bryennii* obitus.
1139	*Petrus de Bruis* et *Arnold. de Brixia* in Concil.

A.C.	
	Concil. *Lateran.* II. oecum. damnati. *Portugall.* regnum.
1140	*Hugonis a S. Victore* obitus. Concil. *Senonense. Simeon Metaphr. Order. Vitalis.*
1142	*Petrus Abaelardus* obit. *Rob. Pullenus. Anna Comnena.*
1146	Romani *Conradum* Imp. invitant. Comitia *Veziliacensia.* Suadente *Bernhardo* Claraevall. *Conradus* et *Ludovicus* VII. R. Francog. *crucem* sumunt.
1147	Exped. *cruciata* in Venedos.
1148	Conc. *Rhemense Gilb. Torretanum* et *Eonem* damnat.
1151	Decretum *Gratiani.*
1152	*Fridericus* I. Imp. regnare incipit. *Sueci* S. Petro annum censum solvunt. *Sugerius,* Abbas S. Dionysii, mor.
1153	*Bernhardi Claraev.* mors. *Suidas.*
1156	*Petrus Venerabilis* e vita migrat.
1158	*Otto Frising.* moritur.
1159	*Alex.* III. et *Vict.* IV. in Eccl. Ro. schisma.
1160	*Frider.* I. ab *Alex.* III. excommunicatus.
1164	Mors *Petri Lombardi* LL. IV. *Sententt.* VII. *Sacramenta.* Conventus *Clarendonensis* iura Eccles. Angl. tuetur. *Thomae Cantuar.* Archiep. cum Rege dissidium.
1165	R. *Aben Esra* obit. *Caimelitae* in Palaestina orti. *Carolus* M. Sanctis adscriptus.
1168	*Finlandi* victi ab *Erico*, R. Suec. *Christ. sacra* recipiunt.
1170	*Waldensium* initia. *Thomas Becketus* occisus. *Helmoldus.*
1172	*Io. Sarisber.* eligitur *Episc. Carnot.*
1173	*Rich. a. S. Victore* et *Beniamin Tudel.* moriuntur.
1174	*Guilelmus* Episc. *Tyri.*
1177	*Frid.* I. Imp. cum *Alex.* III. pax.
1178	*Petri Commestoris* annus fatalis.

Con-

A. C.	
1179	Concilium *Lateran. III.* oecumen.
1180	*Iohannis Sarisber.* et R. *Salomonis Isaacidae* obitus.
1181	*Alexander III.* mor.
1183	*Iohannes Cinnamus. Io. Tzetzes. Gottfrid. Viterbiens. Saxo Grammaticus.*
1186	Christ. relig. in *Livoniam* translata.
1187	*Saladinus* Hierosolymam occupat. *Festum Fatuorum* frustra aboletur.
1188	*Ioachimus* Abb. Florensis.
1189	*Frider. I.* Imp. expeditio *cruciata.*
1190	*Friderici* in Syria mors. *Henricus VI. Equites Teutonici.* Regg. *Franciae* et *Angliae* in *Palaest.* arma movent. Theodor. *Balsamon. Eustathius* Thessalon.
1197	*Henrici VI.* Imp. obitus. *Philippus Suevus* et *Otto IV.*
1198	*Innocentius III.* Pont. *urbis Romanae* et *Marchiae Anconit.* dominus. *Iacobitae* Praedicatores in Italia.
1200	*Petri Blesensis* mors.
1201	*Absalon,* Archiep. *Ludens.* obit.
1204	*Constantinopolis* a *Francis* expugnata. *Balduinus* Imp. *Theodorus I. Lascaris* Imp. Nicaeae. Ordo *Equitum ensiferorum* confirmatus.
1205	*Moses Maiemonides* obit. *Nicetas Acominatus.*
1206	*Averroes* obit.
1208	*Philippus* Imp. interemtus. *Otto IV. Iohannes* R. *Angl.* regno privatur a *Papa Güntherus* Ligur. *Inquisitores.*
1209	Bellum cum *Albigensibus.*
1211	*Gervasius* Tilberiens.
1212	*Fridericus II. Ottoni IV.* oppositus.
1213	*Iohannes* R. Angliae regnum Pont. subiicit.
1214	*Andreas* R. *Vng.* cruce signatus in *terram sanctam* proficiscitur.

Con-

A.C.
1215 Concilium *Lateran. IV.* oecumen. *Transsubstantiatio. Confessio auricularis* Confirmati Ordd. *Dominicanorum, Francisc.* et *Carmelitar. Conradus* de Marpurg. *Inquisitor* in Germania.
1216 *Innocentii* III. mors. *Honorius* III. *Azo.*
1221 Mors S. *Dominici Guil. Brito.*
1226 S. *Franciscus* Assisiens. obit. *Euangelium aeternum. Beguinae.*
1227 *Frider.* II. a *Gregorio* IX. excommunicatus.
2228 *Frider.* II. in Palaest. expeditio.
1229 *Accursii* ICti mors.
1230 Equites *Teuton. Prussos* adoriuntur.
1231 *Antonius de Padua* obit. R. *David Kimchi.*
1233 Crux contra *Stedingos* pradicata. *Inquisitionis* officium *Dominicanis* tributum. *Servitae.*
1240 *Conradi Vrsperg.* et *Iac. de Vitriaco mors. Spirituales.*
1243 *Innocentius* IV.
1245 Concil. *Lugdunense. Friedricus* II. excommun. et regno privatus. *Dominic.* et *Francisc.* ad Tataros missi. *Alexand. ab Ales* obit. *Albericus*
2247 *Guilelmus* Hollandus Frid. II. oppositus.
1248 *Ludovici* Sancti in Palaest. expeditio.
1249 *Petrus de Vineis* moritur.
1250 Mors *Friderici* II. *Conradus* IV. Imp.
1253 *Roberti Capitonis* obitus.
1254 *Conrad.* IV. decedit.
1256 *Guilielmi* Imp. mors. *Richardus* Imp. eiusque aemulus *Alphonsus. Augustiniani* Eremitae. *Guil. de S. Amore* lites cum *Mendicantibus. Euangelium aeternum* Parisiis crematum
1259 *Matthaeus Paris* moritur.
1260 *Flagellantes. Albertus Stadensis.*

Mi-

A. C.
1261 *Michael* Palaeol. Constantinop. recuperat. Mors *Hugonis* a S. *Caro*.
1262 *Guil. de S. Amore* redit ab exilio.
1264 Festum *Corporis Christi*. Mors *Vincentii Bellovac.*
1269 *Conradinus* capite plexus.
1270 *Lupovici* S. altera exped. cruc. et mors.
1272 *Richardi* Imp. obitus.
1273 *Rudolphus Habsburg*. *Guil. de S. Amore* decedit.
1274 Concil. *Lugdunense Graeci Schisma* abiurant *Conclave*. *Thomas de Aquino*. *Bonaventura*, et *Rob. de Sorbona* obeunt.
1275 *Raymundus* de *Pennaforti* moritur LL. V. *Decretall.*
1278 *Martinus Polonus* obit.
1280 *Albertus Magnus* moritur. *Raymundus Martini*.
1282 Vesperae *Siculae*.
1283 *Petrus* Arrog. R. a *Martino* IV. excomm. *Prussia* omnis ab Equitt. Teuton. occupata.
1291 Mors *Rudolphi Habsburg*. *Adolphus* Nassov. Imp. *Ptolomais* Christianis ademta, *Domus Nazareth*. in Dalmatiam traducta.
1292 *Rogerius Bacon* hoc aut proximis annis obit.
1294 Domus *Lauretana* e Dalmatia in Italiam translata. *Coelestini*. *Marcus Paulus Venetus*.
1296 *Guil. Durandus* moritur. *Fratricelli* et *Beghardi*.
1298 *Adolphus* Imp. occisus. *Albertus* Austr. Iac. de *Voragine* decedit.
1300 *Annus Iubilaeus*. *Othmannidar*. Imp. initia.
1301 *Phil. Pulchri* et *Bonifac. VIII*. lites.
1302 Bulla *Bonifacii*: *Vnam Sanctam*.

Boni-

A. C.

1303 *Bonifacius VIII.* captus a *Nogareto,* et mortuus.

1305 *Clemens V.* Papa, qui mox *Avenione* considet.

1307 *Alberti* Imp. mors. *Henricus VII.* Luxenburg. succedit. *Iohannes* a *Monte Corvino,* Archiep. Cambal.

1308 *Iohannes Duns Scotus* obit.

1311 Concilium *Viennense. Templarior.* Ordo sublatus.

1312 *Arnoldus Villanovanus* moritur.

1313 Obitus *Henrici VII.* Imp.

1314 *Ludovicus* Bavarus et *Fridericus* Austr. aemuli imperii. *Philippi Pulchri* mors.

1315 Mors *Reymundi Lulli.*

1316 *Iohannes XXII.* Papa *Reservationes. Exspectativae. Annatae. Petrus de Apono.*

1321 *Dantis* Aligerii mors.

1324 *Ludovicus Bavarus* a Papa excommunicatus, provocat ad Concilium. *Thomas Magister.*

1328 *Iohannes XXII.* a *Ludovico* dignitate privatus. *Marsilius Patav.* moritur.

1329 *Albertin. Mussatus* obit.

1334 *Iohannis XXII.* Pontif. Ro. mors.

1338 *Vnio Electoralis* adversus Pontificem.

1340 *Nicol. de Lyra* moritur. *Nicephorus Callisti.*

1341 *Iohannes VI.* Palaeol. Imp. Byzant.

1343 *Clemens VI. Ludovicum* Imp. anathemate ferit. *Nilus Cabasilas.*

1346 *Carolus* Bohemus *Ludovico* oppositus.

1347 *Ludovici* Imp. et *Guil. Occami* mors.

1348 *Barlaami* obitus. Gregor. *Palamas.* Civitas *Avenion.* a Pontiff. emta. *Pragensis Vniversitas.*

1349 *Güntherus* Schwarzburg. Imp. et mortuus. Tho. *Bradwardinus* obit.

An-

A. C.

1350 *Annus Iubilaeus* ad L. annos reductus a *Clem. VI. Maximus Planudes.*

1354 *Bertholdus, pyrii pulveris* apud Germanos vulgo creditus inventor.

1355 *Carolus IV.* Romae coronatur; a *Petrarcha* monetur ut ibi sedem Imperii figat.

1356 *Bartolus.* Aurea *Bulla.*

1359 *Nicephorus Gregoras.*

1361 *Iohannes Taulerus* moritur.

1365 Henrici *Susonis* mors; annus dubius.

1369 *Iohannes VI. Palaeologus* Imp. Papae obsequium spondet. *Io. Wiclefus.*

1373 S. *Brigittae* mors.

1374 Francisci *Petrarchae* mors.

1375 Iohannes *Boccacius* obit. Io. *Cantazucenus.*

1376 Papae *Avenione Romam* redeunt. *Catharina Senensis.*

1378 *Schismatis* magni Occidentis initia. *Carolo IV.* Imp. succedit *Wenceslaus.*

1381 *Io. Ruysbrochii* obitus.

1385 *Barthol. Albizli* L. *Conformit.* S. Franc.

1386 *Lithuani* cum *Iagellone Duce* Christiani. *Vniversitas Heidelberg.*

1387 *Io. Wiclefus* moritur.

1388 *Vnivers.* litter. *Viennens.* et *Colon.*

1389 Manuel *Chrysoloras.*

1392 *Vniversitas* studiorum *Erfurtensis.*

1394 Concil. *Parisinum* exstinguendo schismati.

1398 *Benedictus XIII.* Papa *Avenione* a Gallis *obsessus*

1400 *Wenceslaus* Imp. a quibusdam Ordd. Imp. Germ. solio deiectus. *Rupertus* Palatinus ei oppositus. *Io. Hussus.*

1406 Concilium *Parisiense* de *Schismate* tollendo.

1407 Caedes Ducis Aurel. a. *Iohanne Parvo* defensa.

1408 *Bened. XIII.* Avenione in Cataloniam fugit.

Con-

A. C.

1409 Concilium *Pisanum.* Alexander V. Pont. Ro. et praeter eum *Bened. XIII.* et *Gregor. XII.* Pontiff. *Vniversitas* litter. *Lipsica.*

1410 *Sigismundus* Imp. *Iacobus de Misa* calicem eucharist. praebet.

1414 Concilium *Constantiense.* Decretum de *Conc. univers. potestate in Papam. Tres Papae* repudiati *Petr. Dresdensis. Theodoricus a Niem.*

1415 *Communio sub una* stabilita a Concilio Const. *Hussus* comburitur.

1416 *Hieronymus Pragens.* crematus.

1417 *Martinus V.* a. Conc. Const. electus Pontif. Franc. *Zabarella* Card. obit.

1420 *Belli Hussitici* origines. Ioseph. *Bryennius.*

1424 *Iohannes VII. Palaeol.* Imp. Byz.

1425 *Petri de Alliaco* mors.

1428 *Schismatis magni* finis. *Puella Aurelianensis.*

1429 *Iohannes Gerson* moritur; *Simeon* item *Thessalon.*

1430 *Nicol. de Clemangis.*

1431 Initia Concil. *Basileensis. Aeneas Sylvius.* Sectae *Hussitarum.*

1433 *Bohemi* in Concilio Basil.

1435 *Annatae* a Concil. Basil. *sublatae.*

1436 *Raymund. Sabunde.*

1437 *Sigismundus* Imp. moritur. *Albertus II.* succedit.

1438 Concil. *Ferrariense,* proximo anno *Florentiam* translatum. *Sanctio Pragmatica.*

1439 *Alberto* Imp. mortuo, *Frider. III.* imperat. *Vnio cum Graecis* in *Florent.* Concil. *Eugenius IIII.* P. R. a Conc. Bas. munere deiectus. *Felix V. Ambrosii Camaldul.* mors. *Marc. Eugenicus. Sylvester Sguropulus.*

Hoc

A. C.
1440 Hoc fere tempore *ars chalcographica* inventa Argentorati a *Guttenbergio*. *Georg. Gemistus Pletho*. *Cosmus Medices*.
1444 *Leon. Bruni* obitus. *Mich. Glycas*. Infaustum ad *Varnam* proelium cum *Turcis*.
1447 *Eugenii III*. P. R. mors. *Nicolaus V*. *Laur. Valla*. Io. de *Capistrano*.
1448 *Concordata* Nationis Germ. cum *Nicol. V*. P. Ro.
1449 *Felix V*. cedit *Nicolao V*.
1453 *Constantinopolis* a Turcis expugnata. *Constantinus XI*. Imp. *Georgius Scholarius*, s. *Gennadius*. *Codinus*. *Georg. Phranza*.
1455 *Nicolai V*. et *Alphonsi Tostati* mors.
1456 Io. *Capistranus* vita functus.
1457 *Laur. Valla* decedit. Querelae *Ordd. Imp. German.* adversus *Pontifices*.
1458 *Mathias Corvinus*, R. Vng. et *Pius II*. P. Ro.
1459 Io. Franc. *Poggius* et *Antonius* Florent. moriuntur.
1460 *Pius II*. appellatt. ad Concil. interdicit.
1462 *Typographia* per Moguntiam captam latius propagatur.
1463 Vnivers. *Friburgensis* in Brisgovia.
1464 *Pius II*. et *Nicolaus Cusanus* obeunt. *Paullus II*. P. R.
1465 Vniversitas *Budensis*.
1466 Georg. *Podiebrad*. R. Boh. a *Paullo II*. excommun. Bened. *Accoltus* e vita migrat.
1468 Mors Cardin. de *Turrecremata*.
1471 *Paullo II*. succedit *Sixtus IV*. *Georg. Podiebradi*, *Io. Rokyzani*, *Thomae a Kempis* et *Dion. a Rickel* mors.

Bes-

A. C.	
1472	*Bessarion* Card. obit. Vniversit. *Ingolstad.*
1475	*Annus Iubilaeus* ad XXV. annos deiectus.
1476	Festum *immac. concep. B. Mariae* indulgentiis munitum. *Io. Regiomontani* mors.
1477	Acad. *Tubingensis* et *Vpsaliensis.*
1478	Vniversitas *Hafniensis.*
1480	*Petrus Niger.* Hier. *Savonarola.*
1481	Barthol. *Platina* moritur.
1483	*Mart. Lutherus* nascitur.
1484	*Sixtus IV.* moritur *Innocentius VIII.* *Ulr. Zwinglius* h. a. natus traditur.
1485	Rudolp. *Agricola* obit. *Leopoldus*, Marchio Austriae, Sanctis adscriptus.
1486	Georg. *Trapezuntius* decedit.
1489	Io. *Wesseli* mors.
1490	*Matthi. Corvini* mors.
1492	*America* inventa. Regni *Granatens.* finis. *Iudaei* Hispania pulsi. *Ferdinandus Cathol.* Mors *Laur. Medices. Alexander VI.* Papa.
1493	*Friderico III.* Imp. *Maximil. I.* fil. succedit.
1494	*Hermol. Barbarus* et Io. *Picus* Mirand. obeunt. Io. *Reichlinus. Gabriel Biel.*
1495	*Pax Publica* in *Germania.*
1497	Phil. *Melanchthon* nascitur.
1498	Hieron. *Savonarola* supplicio adfectus.
1499	Marsilii *Ficini* obitus.
1500	Paullus *Cortesius* Episc. Urbin. elegantiae studiosus inter Scholasticos.
1502	Academiae *Viteberg.* natales. Werner. *Rolevinck* moritur.
1503	*Alexander VI.* P. R. veneno hausto perit. *Pius III. Iulius II.* successores.
1506	M. Ant. Coccius *Sabellicus* decedit.

Lu-

A. C.	
1508	*Lutherus* Profess. Viteberg.
1510	Mors *Io. Geileri* a *Kaysersberg*.
1511	Concilium *Pisanum*.
1512	*Lateranense* Concil. *Ludovici XII.* cum *Iulia II.* lites.
1513	*Iulii II.* obitus. *Leo X.*
1516	Iohannes *Trithemius* et *Bapt. Mantuanus* moriuntur. *Concordatum* inter *Franc. I.* et *Leonem X. Erasmi* editio *Nov. Test. Graeci.*
1517	Franc. *Ximenes* Card. obit. Biblia *Complutensia*.

PERIODVS QVARTA
HISTORIAE
RELIGIONIS ET ECCLESIAE CHRISTIANAE
A LVTHERO AD HANC AETATEM.
H. E.
AB A. C. MDXVII. AD A. MDCCCXVII.

CAPVT I.
Historia restauratae et repurgatae Seculo XVI. Religionis Christianae.

§. I.
Civilis orbis facies hac aetate.

Periodi huius initia et religionem atque Ecclesiam christianam, et *statum orbis civilem, et litterarium* denique, vehementer mutatum, atque a superiori diversum viderunt. *Americae* enim nuper repertae *opibus ditior* iam *Europa, pacatior* quodammodo legibus et moribus facta, *nova* tamen *bellorum semina* accepit, inprimis potentiam ingentem domus *Austriaco-Habsburgicae*. E qua ortus *Carolus*, Hispaniarum Rex, Indiarum, Belgii, alia-

aliarumque terrarum multarum dominus, etiam *Imperium Romano-Germanicum* accepit a. MDXIX. servavitque istud gens eius ad ann. usque MDCCXL. Praeter *Hispanicum* regnum, *Francogallicum* maxime, *Anglicum* et *Suecicum*; extrema autem periodo etiam *Russorum* imperium, singulari auctoritate et rerum gestarum magnitudine eminuerunt. Orta nova regna, *Prussiae*, quod mirabili celeritate inter potentissima locum invenit, et *Sardiniae*; respublicae item *Batavorum*, *Anglo-Americanorum*, denique *Francogallorum*. *Bella* inter Christianos Principes multa, in his *religionis caussa*, certe praetextu, gesta; *foederibus* tamen iidem magis quam olim coniuncti sunt, *mercaturae* ac *navigationi* adiuvandae plurimum intenti. *Othmannidarum* imperium diu florens et formidandum, tandem Christianorum Europaeorum vires et artem militarem sentire coepit. *Persicum* et *Mogolicum*, post virentem aetatem, intestinis dissidiis gravissime quassata; *Sinense* a Mogolis quidem occupatum; sed satis etiam felix, et incrementis quoque auctum perennavit. *Orbis universus* multo mortalibus *notior* factus, eiusque *Partes quatuor* primum inter se connexae *).

*) Consulendi: *Franc. Guicciardini* Histor. sui temporis LL. 20; *Io. Sleidani* de statu relig. et reipubl. Carolo V. Caesare, Commentarii; *Iac. Aug. Thani* Histor. sui temporis L. 138. *Hug. Grotii* Annales et Hist. Belgica; *Gilb. Burneti* Hist. sui temporis; alii. Add. *Struvii*, *Petavii*, et aliorum opera, supra Period. III. C. I. §. 1. not. *a*. *b*. laudata.

§. II.

Et litterarum nova incrementa.

Meliori doctrinae fausta, ut nunquam antea, tempora nunc illuxerunt. Praeparatis enim mentibus antiquitatis eruditae amore, cuius monumenta liberaliter vulgabat chalcographia, novi stimuli ad-

diti sunt *magnorum quorumdam ingeniorum exemplis* et operibus: quae inter *Iohannes Reuchlinus* a), et *Desiderius Erasmus Roterodamus* b) maxime celebrantur. Ille, *graecarum* et *hebraicarum* litterarum per Germaniam stator, obiit Stuttgardiae a. MDXXII; hic, omnis elegantioris eruditionis, inprimisque theologicae, auctor praestantissimus, a. MDXXXVI. Basileae fato functus est: uterque *barbariei scholasticae* ac monasticae *hostis acerrimus* et felicissimus debellator. Cum his *Io. Ludovicus Vives* c), *Guilielm. Budaeus* d), *Ulricus Hutterus* e), aliique plures faciebant. Accedente tandem *libertate sentiendi et docendi*, quod immortale beneficium Reformatoribus Ecclesiae debent bonae litterae, omnis earum ambitus non modo laetissima, sed etiam clerrima incrementa cepit, et ad hunc usque diem, licet variis vicissitudinibus turbatus, retinuit. Iam igitur et *Principes*, et *omnium ordinum homines litteras amare*, fovere et colere instituerunt; *Vniversitatibus* et *Societatibus* eruditorum virorum hoc munus tributum maxime, ut in finibus earum proferendis laborarent; innumeraque rursus *commoda a litteris in religionem Christianam manarunt*. Inprimis autem post *Franc. Baconis Verulamii* sapientissima consilia, ineunte Seculo XVII. verae philosophiae, quae religioni semper amica fuerat, auctoribus *Renato Cartio* (vulgo *Cartesio*), *Hugone Grotio*, *Samuele Pufendorfio*, *Iohanne Lockio*, *Christiano Thomasio*, *Godofredo Guilielmo Leibnitio*, *Chr. Wolfio*, aliis, sua dignitas et verissima utilitas restitutae sunt.

a) *Erasmi* Apotheosis Capnionis. *Sleidan.* Comment. L. II. sq. *Melch. Adami* Vitae German. Philosophor. *I. H. Maii* Vita Reuchlini. *Bruck.* Hist. crit. Philos. T. IV. P. I. *Niceronii* Biographiae, alii.

b) *Sleidan.* l. c. L. X. et aliis locis. *Adami* l. c. *Pinius* in Biblioth. Scriptt. Eccles. et ad eam *R. Simonius*. *Baelius* in Lexico hist. crit. *Burinii* (Burigny) vita Ej. germ.

germ. gall. scripta, emendata in vers. Alii. Opp. X. Voll. f. implent.

c) *Bruck.* l. c. p. 86 sq.

d) *Scaev. Sammarthani* Elogia Gallorum, cum annot. *Heumanni.*

e) *Adami* in vitis Germanor. ICtor. et Politicor. His addendi suo merito: *Iac. Faber. Stapulensis, Petrus Mosellanus, Henr. Cornel. Agrippa, Io. Trithemius, Tho. Morus,* alii.

f) *Brucker.* l. c. P. I. et scriptores historiae litterarum universae inde a Sec. XVI. Conf. *Herm. Hardtii* Hist. litterariam Reformat.

§. III.

Lutherus emendandae Religionis et Ecclesiae opus aggreditur.

Usus certe est hac renascentium litterarum opportunitate prosperrimo successu, princeps christianae religionis hoc tempore restaurator, *Martinus Lutherus*, Islebia Saxo, ex Ordine Augustinianorum Eremitarum, Theologiae Doctor et Professor in Academia Vitebergensi. Qui cum *Iohannis Tezelii*, Dominicani, Pontificarum indulgentiarum quaestoris, impudentia et impietate commotus, pridie Kal. Novembr. a. MDXVII. publicato scripto, seu *Thesibus* XCV. ad disputandum propositis, non modo *indulgentiarum* earum virtutem valde minuisset; sed etiam *veram obtinendae peccatorum apud Deum veniae rationem* illis opposuisset e sacris litteris: ingentes motus hoc facto concitavit. Sed vir veri tuendi unice studiosus, postquam *haereseos* notam sibi inustam vidit, frustra a Pontificio Legato *Caietano*, Augustae, anno MDXVIII. ut scita sua *revocaret*, tentatus est; a. MDXIX, e *disputatione Lipsica* superior discessit: mox nequicquam de pace restituenda agens cum alio Pontificis legato, *Miltitio*, *minis* et *poenis propositis* vexatus est a *Leone* X. Pontif. Ro. *egrediendum sibi*

indicavit ex ea Ecclesia, in qua non praemia, sed tristia omnia manerent novarum, etsi certissimarum et utilissimarum de religione sententiarum auctores. Itaque, *combustis* publice exeunte anno MDXX. *decretis Pontificum Romanorum*, *signum* quasi *sustulit Christianis excutiendae dominationis Pontificiae*, seque duce *religionis christianae ad* pristinam *simplicitatem revocandae* *).

*) *Guicciard.* Hist. L. XIII. p. 297 sq. Basil. 1567. 8. *Sleidani* Comment. L. I. II. *G. Spalatini* et *F. Myconii* de Reformat. initiis narrationes, editae a *Tenzelio* et *Cypriano*, et illustratae diligenter, sermone populari. Acta et monumenta publica Reformat. a *Loeschero* et *Kappio* collecta. *Thuan.* L. I. s. *Paul. Sarpius* in fronte hist. Conc. Trident. *Abr. Sculteti* Annales Euangel. in *Hardtii* libro laud. *V. L. Seckendorfii* Commentarius de Lutheranismo, et epitome huius operis germanica, accessionibus locupletata a *Io. Frickio*. *P. F. Hanii* Historia sacrorum a Luthero emendatorum. *Dan. Gerdesii* Introductio in Hist. Eua elii. Sec. XVI. renovati. *Plankii* Historia originis et mutationum Syst. dogmat. Protestt. germanice scripta. Quibus addenda videtur et *Schröckhii* et *Marheineke* Historia Reformationis germ. Voll. II. lingua vernacula scripta. Plerique Romanarum partium historici in his rebus tradendis aut nimis iniqui et acerbi sunt, ut *Cochlaeus*; aut fingendo ingeniosi et versuti, ut *Varillas, Maimburgius, Pallavicinus, Bossuetus* De caussis veris et fictis molitionis ingentis in Luthero, cuius fructus ad nihilum fere redigere conatus est *M. I. Schmidius*, in Hist. Germanor. sermone vulgari edita.

§. IV.

Idque felicissimo successu. Acta eius reliqua.

Favebant coeptis eius humanitatis et elegantiae ingeniorum studiosi propemodum omnes, et in his primarius, *Erasmus*; *Christiani innumeri*, quos taedium longae servitutis Pontificia ceperat; nec pauci Principes, ut *Fridericus sapiens*, Elector Saxoniae, subtimidior ille quidem, nec aperte pro-

probans *Lutheri* molimina adversus terribilem Monarcham Romanum; sed tamen optimo illum animo adversus vim et iniurias defendens. Ita confirmatus *Lutherus*, liberrimé in *Commitiis Wormatiensibus* a. MDXXI, professus est, se nihil eorum, quae vera esse agnovisset, umquam abiecturum. *Proscriptus* quidem est in his Comitiis, ut voluntati Pontificis Ro. satisfieret; sed aequior illi Imperator *Carolus V. latere* eum passus est aliquamdiu, mox prodire rursus in publicum impune. Ut autem doceret Christianos, non *se* suas, sed *Christi et Apostolorum sententias commendare, litteras sacras germanice versas* ab a. MDXXII. proponere coepit popularibus omnibus. Ut imperitorum doctorum et rudiorum inter Christianos commodis consuleret, brevem summam christiani dogmatis *duplici catechismo* complexus est. Ut pietatem christianam in publicis et privatis sacris adiuvaret, *Sermones* longe plurimos, eosque plane christianos, *de religione* habuit, *hymnosque* et *cantica germanica* scripsit [a]). Multis aliis libris, ut *Commentariis in Script. S. Articulis Smalcaldicis*, libellis item dogmaticis et polemicis, doctrinam a se traditam illustravit et defendit, indefessus semper agendo, donec a. MDXLVI. moriens, ingentes laborum fructus post se relinqueret [b]).

a) *Sleidan.* Comment. L. II. ad XVI. *Spalatin. Seckendorf.* et *Gerdes.* II. cc. Historiam versionis Scr. S. a. Luthero perfectae a. 1534. scripsere *Palmius*, *Giesius* et *Panzerus*.

b) Scriptores omnis generis de Luthero recenset *I. A. Fabricius* in Centifolio Lutherano. *Melanchthonis* vita eius, rursus edita ab Heumanno, eiusdemque epistolae. *Adami* vitae German. Theologg. *Baelius* in Lexico. *I. G. Walchii* vita Lutheri, locupletissima omnium. Accessit nuper *Wielandiana.* Operum eius editt. principes sunt: Vitebergensis, ab a. 1539. et Ienensis, ab a. 1556. curatae forma majore, quibus addenda multis bonis commendata Halensis, quae a. 1737. prodire coepit quaternis; etsi latinos Luth. libros germanice versos exhibeat, nec aptissimo ordine librorum gaudeat.

§. V.

§. V.

Rerum ab eo gestarum summa. Philippus Melanchthon.

Fuerunt sane in eo permulta et ingentia bona, quibus ad res summas perficiendas uti posset: *ingenium* laetissimum, *doctrinae* copia insignis, *veri* cognoscendi et publicandi studium *eximium*, *laborum* patientia et *constantia* invicta, *animus* generosus, *pietas* in Deum certissima, *eloquentia* autem, naturae potius et animi, quam artis filia; etsi nonnihil labis adspergeret *vehementia et iracundia morum atque dictionis*, quae eum saepe agitabant. Certe post Apostolos utilior rei christianae omninoque generi humano doctor et scriptor surrexisse non videtur: *neque* ille *tantum de religione et pietate* christiana *restauranda*, ab *hominum commentis* et *superstitione* liberanda, de emendanda *ecclesia*, *cultu divino*, et *doctoribus* christianis ad pristinam puritatem reducendis optime meritus; sed in eo etiam magnus et immortalis, quod *Pontificii imperii terribilem molem primus subruere* coepit; *primus* Christianos e tot seculorum servitute *in libertatem* vindicavit; *Principibus iura* diu a Clero *erepta* restituit; denique praeter alia, *libertatem ingeniorum* bonis *litteris* reddidit *a*). Socium laborum principem habuit *Philippum Melanchthonem*, Palatinum, graecarum, postea sacrarum litterarum in Acad. Viteberg. Professorem. Qui magno *ingenio*, *doctrina* admirabili, *eloquentia* suavissima, *animo* optimo, *lenitatis* ac *pacis* studiosissimo, *laboribus* diuturnis et innnumeris, *scriptis* etiam quam plurimis, immortalitate dignissimis, ut *August. Confessione*, eiusque *Apologia*, *Locis Theologicis*, *Commentariis in Script. S.* Compendiis doctrinae *philosophicae* et *historicae*, hoc consecutus est, ut non modo praecipuus litterarum per Germaniam stator merito

suo

suo haberetur; sed etiam religionis et ecclesiae christianae restitutionem pari cum *Luthero* felicitate adiuvaret. Obiit anno MDLX *b*).

a) Quo iure nonnulla scribentis et irascentis delicta obiiciantur religioni eorum, quibus auctor fuit abiiciendae in rebus divinis auctoritatis humanae? Quibus rebus bene meruerit de hostilis in ipsum animi Ecclesia? Utrum aliqua et quaenam reliquerit emendanda in religionis et ecclesiae statu?

b) *Mel.* Epistolae. *Ioach. Camerarii* Narratio de P. M. ortu, totius vitae curriculo et morte. *Thuani* elogium P. M. L. XXVI. *Adami* in vitis German. Theologg. *Strobelii* de Mel. libelli. Scriptores plerique ad §. III. laudati. Opera theologica Mel. quatuor Voll. formae maximae collecta exstant. *Loci theologg.* primum religionis e SS. litteris restauratae breviarium, simplicitatis et utilitatis eximiae, editi ab eo primum a. 1521. postremum post multas curas et accessiones, a. 1559. Merito et inique reprehensa in moderatis eius et variis de relig. constituenda consiliis.

§. VI.

Progressus religionis ab eo restitutae per Germaniam.

Horum et, quos praestantiores habuerunt, amicorum atque discipulorum opera factum est, ut religio *Christi* ad normam Euangelii tandem repurgata, quae propterea *Euangelica* dicta est, et ab hostibus *Lutherana*, multis per Europam gentibus cognita mox etiam placere inciperet. Receperunt eam *Saxonia*, quae *Electoribus* parebat, ab MDXXV. quo *Iohannes Constans Friderico* fratri successit; *Ducalis* ab a. MDXXXIX. *Henrico Pio* Duce, post fata fratris *Georgii*, qui frustra per annos viginti opprimere haec sacra conatus erat, commendante; *Hassia* ab a. MDXXV. auctore *Phil. Magnanimo*, Landgravio; et paullo post *Prussia*, *Würtembergicae*, *Anhaltinae*, *Brandenburgicae*, *Pomeranicae*, *Clivenses*, *Palatinae*, et

Bruns-

Brunsvicenses terrae, *Urbes* item *liberae Imperii Germ.* pleraeque et florentissimae; ut *Argentoratum*, *Noriberga*, *Augusta Vindelicorum*, *Ulma*. *Lubeca*, *Hamburgum*, aliae *a*). Ac primum quidem, sub exordia huius tantae conversionis, universi German. Imperii Ordines in Comitiis *Noribergensibus* anni MDXXII. in eo consenserunt, esse permulta in statu ecclesiae et clericorum emendanda, quae etiam scripto comprehensa ad *Adrianum VI.* Pont. Ro. misere *b*). Postea tamen, discordia inter eos nata, Ordinum illi, qui Romanae Ecclesiae favebant, in Comitiis *Spirae* habitis a. MDXXIX. decretum Euangelicis valde molestum condiderunt. Hi autem non modo opposita *Protestatione*, a qua pluribus post annis *Protestantium* *c*) nomen acceperunt, se tutati sunt: sed etiam in *Comitiis Augustanis* a. MDXXX. exhibita publice *Carolo V.* Imperatori fidei suae professione, tanto plures sibi amicos conciliarunt *d*).

a) Clarissimi Lutheri et Melanchthonis adiutores fuere: *Andr. Carolostadius*, *Io. Bugenhagius*, *Iustus Ionas*, *Paul. Fberus*, *Georg. Spalatinus*, *Frid. Myconius*, *Georgius* Princeps *Anhaltinus*, *Io. Brentius*, *Martinus Bucerus*, alii: de quibus post *Sleidanum*, *Seckendorf.* et *Gerdesium*, *Adami* in vitis Theologg. Germ. *Camerarius* in vita Georg. Anh. et *Füslinus* in vita Carolost. aliique legendi.

b) *Sleidan.* l. c. L. IV. *Seckend.* L. I. §. 144 sq. Centum Gravamina Nationis Germ. in *Georgii* libro supra laudato.

c) *Sleidan.* l. c. L. VI. VII. *Seckend.* l. c. L. II. §. 44 *Io. Ioach. Mülleri* Hist. Protestat. Ordd. Euang. germanice scripta.

d) *Sleidan.* l. c. L. VII. *Seckend.* L. II. §. 55 sq. *Georg. Coelestini* Hist. comitior. Augustan. *Chytraei*, *Cypriani*, *Saligii* et *Weberi* Hist. Aug. Confess. hae quidem german. scriptae. De caussis progressuum relig. Euang. apud Principes et populos.

§. VII.

§. VII.

Foedus et bellum Smalcaldicum. Pax Augustana.

Iisdem in Comitiis cum *Carolus* iniquiorem se iis praeberet, initio a MDXXXI. *foodere Smalcaldico*, sua civiumque suorum in colendo Deo iura tueri coeperunt fortius. Bellum quod tum instare videbatur, avertit *Pax Noribergensis* a. MDXXXII. Verum odia religionis caussa suscepta, iniuriae Euangelicis continuo illatae, crescens eorum in dies numerus et potentia, quaedam per vim ab illis acta, sed iustae defensionis nomine utentibus, Caesaris denique adversus eos indignatio, quos auctoritatis suae contemtores existimabat, *Bellum Smalcaldicum* peperere, a. MDXLVI. quod non quidem religionis caussa gerere volebat videri *Carolus*; sed rei tamen Euangelicae exitiale fuit: cuius duces principes, *Iohannes Fridericus*, Elector Saxoniae, et *Philippus*, Hassiae Landgravius, in potestatem victoris pervenerunt. At *Mauritius*, Saxoniae iam Elector, res Euangelicorum adeo feliciter restituit, ut non solum *Transactione Passaviensi*, a. MDLII. sed magis etiam *Pace Religiosa Augustana*, quae a. MDLV. sancita est, libertatem profitendae religionis suae, adiunctis etiam iuribus insignibus, obtinerent *).

*) *Sleidan*. Commentar. L. VII-XXVI. *Thuan*. Hist. sui temp. L. II. sqq. XI. sq. XXVI. *Frid. Hortlederi* Opus germanicum de caussis et actis belli Germanici, 2 Voll. f. in omni Historia Reform. perutile. *Seckendorf*. l. c. qui in a. 1546 definit. *Io. Schilteri* libellus de Pace Relig. De actis Comitiorum Germ. Colloquiorum publicorum, item in caussa Concilii diu frustra expetiti, etiam bellis intestinis Germ. quae Smalcald. antecessere. De foedere Imper. et Pontif. adversus Protestt. inito, deque *Caroli* veris consiliis, partim in eo bello, partim postquam debellaverat. De fide *Matth. Ratzenbergeri* in Hist. arcana.

§. VIII.

Religio Euangelica in Suecia, Dania et Norvegia recepta.

Multo autem ante quam ita in Germania legibus publicis stabiliretur emendata religio, eamdem *Suecia* et *Dania* cum *Norvegia* suam fecerunt: quae tria regna ad hanc usque aetatem coniuncta postremum Regem communem habuerunt *Christianum* II. ab iisdem sacris non alienum. Sed in *Sueciae* regno, quod eius obsequio se subduxit a. MDXXI. successit ei *Gustavus* I. qui post patriam in libertatem vindicatam a *Christiani* impetu et crudelitate, eamdem euangelicae religionis amore imbutam, sed Episcoporum ingenti potentia pressam confirmavit, perfecitque tandem a. MDXXVII. in Comitiis *Arosiensibus*, ut in ea recipienda Ordines Regni, praeter Episcopos, consentirent. Cui mutationi superfuit, et repurgata sacra, etiam Regis et Regni dignitati restituendae amica, modis omnibus adiuvit ad annum usque MDLX *a*). *Daniae* autem et *Norvegiae* regna qui post deiectum a. MDXXIII. solio *Christianum* accepit *Fridericus* I. cum esset et ipse emendatae religionis studiosus, libertatem docendae et profitendae illius introduxit, qua plerique cives utriusque regni usi sunt. Filius tandem eius *Christianus* III. a. MDXXXIX. effecit, ut ea religionis formula in dictione sua unice regnaret *b*). Eadem mature ad *Belgas*, *Anglos*, *Scotos*, *Francogallos*, *Hispanos*, *Italos*, *Ungaros*, *Transilvanos*, et *Polones* pervenit, miliaque multa hominum de his gentibus ad partes suas pertraxit: unde numerosi inter quasdam earum coetus, qui illam sequuntur, hodieque supersunt *c*).

a) *Io. Baazii* Inventarium Ecclesiae Sueo-Gothorum, Lincop. 1642. 4. *Seckendorf*. l. c. *Gerdes*. l. c. T. III. p. 227 sq. *Olai Celsii* vita Gust. I. ex Suec. germanice red-

reddita. *Schinmeierus* de tribus Sueciae Reformatorib. libro germanico.

b) *Seckendorf.* l. c. *Gerdes.* l. c. p. 338 sq. *Erici Pantoppidani* Hist. Reformat. Eccles. Danicae, danice et german. edita. *Eiusd.* Annales Eccles. Danicae diplomatici, 4 Voll excusi quaternis. *Münteri* Hist. Reform. Dan. Danice scripta.

c) Praeter *Sleidanum*, *Seckendorf.* et *Gerdes.* scriptores item singulares de historia sacrorum apud has gentes, h. l. addendi sunt: *Dan. Gerdesius* in Specimine Italiae Reformatae; *Mich. Geddesii* Martyrologium eorum, qui in Hisp. ob professionem relig. Protestt. supreme supplicio affecti sunt, a *Moshemio* ex Angl. latine conversum; *P. E. Debrezeni* (verius *Ember*) Historia Eccl. Reformatae in Hungaria et Transilv. edita. a. *F. A. Lampio*; *I. Ribini.* Memorabilia Aug. Confess. in Regno Hung. *G. Huneri* Historia Ecclesiar. Transilvan. *Adrian. Regenvolscii* (*Andr. Wengerscii*) Systema hist. chronologicum ecclesiar. Slavonicarum, postea mutato indice: Slavoniae Reformatae Libri IV. *Stäudlinii* Geographiam et Statisticen ecclesiast. germanice conscriptam. Nomen *Dissidentium* a. 1573 natum, et quo sensu? De *Consensu Sendomir.* a. 1570. sancito.

§. IX.

Emendatio relig. et ecclesiae a Zwinglio et Calvino instituta in Helvetia.

Eodem fere cum *Luthero* tempore *Ulricus Zwinglius*, Canonicus et sacrorum minister Turicensis, religionem christianam a placitis et lusibus humanis repurgare instituit: vir sane doctissimus et acutissimus, animo magno et constanti, pietates prudentia et studio rei christianae eximio praeditus *a*). Qui cum ab aliquot iam annis rectiora de religione professus esset, (quod etiam ante a. MDXVII. Sermonibus ad populum habendis fecerat *Lutherus*), tandem a. MDXIX. oppugnato *Bernardino Samsone*, Franciscano, quaestore Pontificiarum indulgentiarum apud Helvetios, animum his addidit ad abiicienda vincula dominationis

Ro-

Romanae, et quaecumque adhuc falso pro religione christiana venditata essent. Certe paullo post et *Turicensis* pagus, et *Bernensis*, et *Basileensis*, aliaeque Helvetiorum regiones in sententiam eius concessere. Cum autem et ipse illam sacris litteris et sequenti eas antiquitati christianae se debere confirmaret, e communi cum *Luthero* fonte hauriens: in plerisque omnibus cum hoc consensit, praeter unum admodum dogma, *de corporali*, quam vocabant, *et reali Corporis et Sanguinis Iesu Christi in Sacra Coena praesentia*. *Caerimonias* etiam *cultus divini* publici tantum non omnes cum ornamentis aedium sacrarum tollere instituit [b]. Quamvis autem in bello anno MDXXXI. perierit, multis intra paucos annos praeclare gestis, et eodem anno exstinctus fuerit fidissimus et felicissimus adiutor laborum eius, *Iohannes Oecolampadius*, doctor Ecclesiae et Academiae Basileensis, ingenio egregio, mente placida, eruditione item et eloquentia insignis [c]; tamen coeptam ab iis emendationem religionis et ecclesiae mors eorum adeo non evertit, ut potius post eam nova praesidia et firmissima acceperit. Condita est enim a. MDLVIII. *Academia Genevensis*, et in ea docuerunt *Iohannes Calvinus*, eiusque discipulus *Theodorus Beza*, uterque Francogallus. Ille ingenio, doctrina, eloquentia et consiliorum generosa magnitudine, inter principes theologos aetatis suae referendus; sed dominandi tamen cupidior, ad annum usque MDLXIV. superstes, non modo *Zwinglii doctrinam de Coena* eucharistica nonnihil *mutavit*; sed etiam placitis eius dogma *de absoluto Dei decreto* addidit [d]. Hic a. MDCV. fato functus, vir ingeniosisismus et doctissimus, principatum inter Script. S. interpretes ex hac Ecclesia, quae *Reformata* dicta est, merito suo hac aetate tenuit [e].

a) *Osw. Myconii* vita Zwingl. praefixa huius Epistolis. *Adami* vitae German. Theologg. *Gerdes.* Introd. in Hist. Evang.

Euang. renovati, T. I. Vita Zwingl. germanica scripta a *F. Nüschelero*. Opera viri pleraque 4 Voll. formae maximae edita sunt, in quibus memorabilis inprimis liber de vera et falsa religione.

b) *Sleidan.* Comment. L. I. III. V. VIII. *Seckendorf.* Comment. de Luther. *Iac. Hottinger.* Hist. Ecclesiast. Helvetiae, opere germanico. *Abrah. Ruchatus* in Hist. Reformat. Helvet. opere gallico. *Io. Conr. Füslini* Symbolae ad eamdem historiam, dialecto patria editae. *Eiud.* Epistolae Reformator. Eccles. Helvet. *Gerdes.* l. c. inprimis T. II. eiusdemque Scrinium Antiquar.

c) *Adami* vitae Germ. Theologg. et *Gerdes.* Introduct. in Hist. Euang. renovati, l. c. qui etiam de *Leone Iudae*, *Henr. Bullingero*, aliisque constituendae in Helvetia religionis adiutoribus, tradunt.

d) *Theod. Bezae* et *Pap. Massoni* vitae Calv. *Melch. Adami* vitae Theologg. exterorum. *Baelius.* in Lexico. *Iac. Sponii* Hist. Genevensis, gallice scripta. *Gerdes.*. l. c. T. IV. Conf. *Sleidan.* et *Thuan.* ll. cc. Inter Opp. IX. Voll. collecta eminet Institutio. Relig. Christ. sed etiam Epistolae legendae, Genevae 1575. fol. ed. Vitam Theod. Bezae, nec non Petr. Mart. Verm. descripsit *Schlosser* libro germanice scripto.

e) *Anton. Faii* vita Bezae gallice edita. *Adami* et *Baelius* ll. cc. Nobiles sunt eius Annott. in Nov. Testam. et Epistolae.

§. X.

Eam pars Germanorum et Francogallorum suscipiunt.

Ex Helvetia egressam hanc repurgatae religionis formulam, *Germanorum* et *Francogallorum* non pauci receperunt. Certe inter illos Seculo adhuc XVI. vigente, *Palatinatus ad Rhenum*, inprimis ab anno LXXXIII. *Principum Anhaltinorum ditiones* pleraeque, ab a. MDXCVI. et *Bremensis urbs*; Sec. XVII. autem *Hassiae* et *Brandenburgici Electoratus* pars, ad eam accessere auctoribus *Mauritio*, Landgr. ab anno MDCV. et *Io. Sigismundo*, Elect. ab a. MDCXIV: cuius etiam Seculi anno XLVIII. Pax Westphalica Re-

for-

formatis eadem cum Lutheranis iura in Germania attribuit a). Apud *Francogallos* doctrina Reformatorum, quos ridendo *Hugenotos* vocabant, celerrimos quidem progressus fecit, multis etiam hostium saevitia, cruciatus et mortem attulit, iubentibus *Francisco* I. et *Henrico* II. Regibus, imo et belli intestini, eiusque diuturni, praetextus fuit: donec a. MDXCVIII. *Edicto Nannetensi*, quod *Henrici* IV. Regis aequitati debebant, libertatem sacris suis publice operandi adepti sunt b).

a) *Burc. Gotth. Struvii* Hist. Eccl. Palatina; *I. C. Bekmanni* Hist. Anhaltina, Parte VI. *Val. Ern. Loescheri* Hist. motuum inter Evangelicos et Reformatos. *C. A. Saligii* Hist. August. Confess. *E. S. Cypriani* liber de pace ecclesiast. Protestant. qui omnes sermone populari scripserunt; *Heringii* Symbolae ad Hist. Eccl. Reform. in terris Brandenb.

b) *Sleidan.* Comment. L. VIII. IX. *Thuan.* Hist. sui temp. L. V. sq. qui etiam L. XXIV. caussam nominis Hugenott. tradit. (*Theod. Bezae*) Hist. Ecclesiar. Reform. in regno Franciae, patria dialecto scripta, (*Io. Serrani* Commentarii de statu religionis et reipubl. in Gallia. *Eliae Benedicti* (Benoit) Hist. edicti Nann. gallice scripta. *Gerdes.* Introd. T. IV. Conf. *Farelli* et *Vireti* vitas in *Adami* vitis exteror. Theol.

§. XI.

Anglia item, Scotia et Belgium foederatum.

In *Anglia* quamvis *Henricus* VIII. Rex Pontificis Romani imperio, quod primum adversus *Lutherum* defenderat, postea nata inter eos in caussa divortii regii gravissima inimicitia, se et cives suos subtraheret, et ipse *caput Ecclesiae Anglicanae* haberi vellet ab a. MDXXXIII; tamen reliquis dogmatibus Romani coetus nuntium nequaquam misit, et alia sentientes supplicio adfici iussit. Verum post fata illius anno MDXLVII. filius eius *Eduardus VI.* consiliis usus *Thomae Cranmeri*, Archiepisc. Cantuariensis, religionem Reformato-

matorum sedulo fovit usque ad mortem a. MDLIII. Hunc secuta soror *Maria* crudelissime vexavit huius religionis adseclas, et Romanam sanguine civium foedatam restituit. Denique ea mortua a. MDLVIII. *Elisabetha* soror exoptatam diu facultatem Anglis largita est, Deum ad restaurata christianae religionis leges colendi. *Media* tamen quasi *via inter Euangelicos et Reformatos* incedens, neutrius partis sententias penitus probavit; sed sacrarum litterarum auctoritate et veteris Ecclesiae Christianorum consensu nixa, eamdem normam *Episcopos* sequi iussit. Multi inter haec Angli dogmata *Zwinglii* et *Calvini* secuti, post hanc aetatem *Puritani* dicti sunt, alias *Presbyteriani*, oppositi illi *Ecclesiae Episcopali* in Anglia regnanti [a]). *Scotiam* maxime, suis tum Regibus parentem, qui *Patricius Hamiltonus* ac deinde *Iohannes Knoxus*, feliciore successu emendata sacra commendaverant, longe plurimi illarum partium Christiani occuparunt, ab Episcoporum ordine et caerimoniis Ecclesiae Romanae alienissimi [b]). In *Belgio Philippus II.* cui illud a patre *Carolo V.* traditum fuerat a. MDLVI. Inquisitionis tribunali et suppliciis ad exstinguendam, quam putabat, haeresin Protestantium frustra usus, *iacturam* potius *septem provinciarum* fecit; quae et politicae et ecclesiasticae libertatis beneficium sibi vindicarunt, ab a. maxime MDLXXIX. Florebat ibi et Euangelicorum et *Reformatorum* dogma; tandem hi *numero vicerunt* illos, et primario loco considentes, etiam *Academia Lugdunensi* a. MDLXXV. condita, novum robur acceperunt [c]). Ceterum et *Italia* et *Ungaria* atque *Polonia* permultos Reformatorum vidit, diversis postea fatis iactatos [d]).

a) *Sleidan.* l. c. L. III. IV. VI. VIII. IX. XII. XVIII. XIX. XXV. *Thuan.* l. c. L. IV. XIII sq. *Gilb. Burneti* Hist. Reformat. Eccles. Anglicanae, ex anglica gallica et germanica facta; sed ineptius latine conversa. Eiusdem historiae compendium. *Io. Strypius* in Annali-

bus

bus Reformationis sub Elisabetha, anglice scriptis. *Gerdesii* Introd. T. IV. De Crannero et Petro Martyre, *Adami* in vitis Theologg. exterorum, et Cr. vita in Biographia Britannica, partim et germanice versa.

b) Praeter scriptores annot. *a.* laudatos, *Georg. Buchanani* Historia rerum Scoticarum. *Robertsoni* Historia Scotiae, praesertim regnante Maria, germanice versa. *Adami* vita Knoxi, l. c. et *Stuarti* Hist. Reform. Scoticae, ex angl. german. facta. *Knoxii* Vitam libro anglico descriptam germanice convertit nuperrime *Planckius*.

c) *Thuan.* Hist. L. XXVII. et seqq. G. *Gratii* Annales et Historiae de rebus Belgicis. *Ger Brantii* Historia Reformat Belgicae, e dialecto batavica in gallicam conversa. *Gerdes.* Introd. T. III. sed. in a. 1558. subsistens. *Eiusd.* vita *Franc. Iunii*, in Scrinio Antiq.

d) v. §. VIII. annot. c.

§. XII.

Summa rei in emendatione relig. christ. Sec. XVI. spectanda.

Haec tanta rerum conversio, quam *Reformationem sacrorum* merito adpellarunt, cum *ingenti Christianorum* innumerorum *consensu* perfecta fuerit, *nec vim et arma* uspiam desideraverit, (etsi haec hominum, praesertim hostium illius, vitio, passim accederent,) tum *providentiae divinae* in rebus humanis *specimen* clarissimum praebuit. Nam in occasionibus, caussis, praesidiis, adminiculis, impedimentis, vicissitudinibus denique, per quas ad exitum suum pervenit, manifesto patuit, *non humanis tantum consiliis* eam deberi; imo *contra potentissimorum hominum voluntatem*, et ipsis fere adiuvantibus, susceptam fuisse *a*). *Millia* autem *multa hominum*, atrocissima quaeque et *mortem* ipsam subire, pari *constantia* qua olim christiani a gentilibus necati, maluerunt, quam fidem agnitam deserere *b*). Denique *beneficia*, quae in humanum genus contulit *Reformatio*, *tanta* fuerunt, ac tam varia, tam vere ad omnem posteritā-

ritatem duratura, ut vel ea Numinis divini curam loquantur. Quo munere Dei usi sunt Christiani, quotquot se in libertatem pristinam asserere potuerunt. Sed *quo minus* eodem *plures*, imo omnes *uterentur*, *intercessit Pontificium* et Cleri Ecclesiae Romanae, quorum hoc facto dominatio et opes labefactabantur, *iniquitas et saevitia*, qui legibus, carcere, tormentis et suppliciis permultos in servitute vetere continuerunt; *turbis* etiam et *bellis* non paucis eadem de caussa concitatis, aliisque modis imperio suo satis feliciter, non certe religioni, prospexerunt.

a) De *naevis politicis*, qui traduntur, *Pontiff. Ro. et Caroli* V. admissis tempore Reform. sacrorum. De *Principum*, qui ei propitii fuere, ipsorumque *Reformatorum peccatis* et *dissensionibus*. De *opportunitate temporis*, eiusdemque *malis*.

b) Vid. praeter laudatos Scriptt. *Io. Crispini* Actiones et Monumenta martyrum, et *Io. Foxi*, *Paul. Crocii*, aliorumque similes libros.

c) *Io. Claudii* et *E. S. Cypriani* Apologiae pro Reform. Eccl. illa gallice edita, 1673. 4. Quevilii; haec germanice, in exitu libri de origine et progressu Papatus. Add. libellum *Reinholdi* eiusd. argumenti.

CAPVT II.

Historia Doctorum Christianorum, et propagatae ab illis religionis.

§. I.

Diversa studia doctorum christ. Ecclesiae occident. inprimis Pontiff. Ro.

Postquam secessione tot Christianorum ab Ecclesia Romana facta, *tres* enatae sunt *per Occidentem Ecclesiae primariae*, *Romana*, *Euangelica*

et *Reformata*: singularum doctores hoc sibi agendum maxime intellexerunt, ut coetuum suorum iura confirmarent, et adversus inimicos eorum defenderent. *Triste* sane *dissidium*; sed necessarium, et eorum culpa ortum, qui veterem Christianorum libertatem diu oppresserant. Itaque qui hanc restitutam dolebant, *Romanae Ecclesiae doctores*, hoc multo magis curarunt, ut reliquarum Ecclesiarum Christianos ad communionem vel potius imperium suae revocarent. Inprimis autem *Pontifices Romani resarciendo damno*, quod irreparabile passi erant, impediendis reliquis Christianis ne a se deficerent, reducendisque ad obsequium suum, qui ei se subtraxissent, intenti, *prudentiam*, *dolos*, et, quod licebat, *vim ultimam*, inter praesidia ruentis dominationis suae, adhibuerunt. *Leonis* quidem X. successor ab a. MDXXII. *Adrianus VI.* vir bonus et satis moderati animi fuit; sed qui Ecclesiae suae vitia publice fassus odia suorum incurrit, sublatus e medio, anno MDXXIII *a*). Callidiores qui proxime ab eo regnarunt, *Clemens VII.* et ab a. MDXXXIV. *Paullus III.* neque tamen vel ille *direptionem urbis Romanae* anno MDXXVII. cum *captivitate sua* coniunctam avertere potuit *b*); vel hic, publicato *Consilio de emendanda Ecclesia*, Protestantes a coepta multo graviore eiusdem emendatione dimovere *c*).

a) *Sleidan.* l. c. L. III. IV. Plerasque meliores de eius vita narrationes complexus est. *Casp. Burmannus* in Adriano VI. Conf. *P.-Sarpi* et *S. Pallavicinii* de eo iudicia. *Baelius* in Lexico.

b) *Sleidan.* l. c. L. IV. V. VI. IX. *Fr. Guicciardini* historia exspoliatae Romae, sermone hetrusco scripta. *Sarpius* in Hist. Conc. Trid. et *Seckendorf.* l. c.

c) *Sleidan.* l. c. L. IX. X. cet. *Sarpius* et *Seckend.* ll. cc. Consilium eius *Conringius* et *Schelhornius* rursus editum illustrarunt.

§. II.

§. II.

Nova praesidia imperii Pontificii: Iesuitae.

Felicior in eo *Paullus* fuit, quod labenti Ecclesiae et potentiae Pontificiae fulciendae, haereticisque, qui putabantur, omni ratione debellandis, condita est a nobili Hispano, *Ignatio de Loiola*, *Societas Iesu*, confirmata a Pontifice a. MDXL. Hic enim *Iesuitarum* Ordo, monasticis non satis similis, *celerrima* adseclarum, potentiae et opum *incrementa* accepit, etsi plurimis in ipsa Ecclesia Romana resistentibus, doctores istius propemodum omnes obscuravit, *Scholas* et *Academias* in ea occupavit, in *aulis* dominatus est, scriptisque, consiliis, coniurationibus, bellis et astu vario, ad *firmandam rem Romanam*, *turbandamque Protestantium*, non parum contulit, *litteris* etiam *minime inutilis*. Sed eadem *impotentia dominandi*, et multa ab institutis ecclesiasticis aliena moliendi libidine, inprimisque *praeceptis* suis *de caede Principum*, *de probabilitate* in moribus sequenda, de *peccato philosophico*, aliisque ex eodem animo profectis, odia plurimorum de coetu suo incurrit: quae etiam aucta sunt cum potentia Societatis, permultis sane formidanda, et machinationum perpetua quadam serie, quibus implicatam se ostendit. His denique rebus factum est, ut flagitantibus Principibus Ecclesiae Romanae plerisque, quod etiam conformatio interior Ordinis suadere videbatur, *Clemens* XIV. Pont. Ro. a. MDCCLXXIII. eum *prorsus tolleret*. Fuisse in eo viros egregios et culpa illa multiplice immunes, dubitari non potest; in universum tamen gravis ipsi iam Ecclesiae suae fuerat, ab eaque multo magis in dies abalienaverat Protestantium animos *).

*) *Sleid.* L. XXVI. *Thuan.* L. XXXVII. Vita Loyolae a *Pe. Ribadeneira*, *Io. Petro Maffeio*, *Io. Pinio* in Actis SS.

SS. Mens. Iul. T. VII. et aliis plurimis scripta; inter hos et a *Car. Virio* (Le Vier) lepide quidem, sed vere. Scriptt. historiae Ordinis domestici: *Nicol. Orlandinus* et alii, usque ad *Iul. Corderum*; anonymus item auctor Historiae criticae Ord. Iesuitarum, theotisce a. 1765. Institutum Societatis Iesu, 1757. Pragae, 2 Voll. fol. Inter reliquos Scriptt. eminent auctores operum gallicorum: Historia monachorum Soc. Iesu, 2 Voll. 8. et Historia generalis ortus et progressus Soc. Iesu. Non contemnenda collegit *Harenbergius* in Hist. pragmat. Ord. Iesuit. et praestantiora ceteris duraturus erat auctor operis item germanice scripti: Periculum novae historiae Ord. Iesuit. Primus historiam Ord. Iesuit. patrio sermone absolvit *P. P. Wolfius.* De *Dalamberti* et *Lingueti* libris. De morali doctrina Iesuitarum, *Blasii Pascalii* Epistolae, et aliorum opera, adversus quae suos defendere *Gabr. Daniel*, aliique. Bulla *Clem. XIV.* legitur in Act. Hist. Eccl. nostri temporis T. I.

§. III.

Concilium Tridentinum.

Eodem fere cum natalibus huius Societatis tempore, expetitum diu a Pontificiis et Euangelicis *Concilium Ecclesiae Occidentalis*, quod sedandis motibus in ea exortis inserviret, *Tridenti* haberi coepit. Sed cum illud nequaquam *liberum* et *christianum* esset, quale postulaverant iure suo Euangelici: ab his penitus neglectum est, habuitque omnino praedamnatum ab his exitum, et religioni atque ecclesiae noxium. Nam cum Pontifices Romani intelligerent, Euangelicos se huic iudicio suo submissuros non esse, tanto diligentius hoc egerunt, ut *Concilio isto ad auctoritatem suam*, et *religionis formam a superioribus Pontificibus introductam stabiliendam* uterentur. Quod etiam artibus et machinis variis consecuti sunt. Inchoatum est hoc Concilium a. MDXLV. intermissum saepius, denique absolutum a. MDLXIII. a *Pio* IV. In quo etsi quaedam sancita sunt non spernenda de statu Ecclesiae Romanae emendando, de doctoribus eius, scholis, catechismis, cet. tamen *in summa rei et religionis christianae* adeo *operae pretium*

non

non fecit, ut eam vitiosiorem prope reddiderit constitutis dogmatibus de auctoritate *vulgatae versionis Script. S.* de *septem Sacramentis*, aliis; anathemata porro iaciendo in Christianos a se dissentientes, *spem reconciliationis* cum iis *sustulerit*; *dignitatem* autem *Pontificum Romanorum*, quantum in ipso erat, confirmaverit. Aperuit idem *imbecilles* iam *horum* in Ecclesia sua *vires*; neque in singulis eius provinciis, certe quod ad omnia decreta sua, receptum est *).

*) *Sleidan.* et *Thuan.* passim. *Paulli Sarpii* Hist. Concil. Trident. ex hetrusco gallice versa et illustrata a *Pe. Curaierio. Sforz. Pallavicinii.* Hist Conc. Trid. Eamdem sermone germanico scripsit *Saligius.* Conf. librum gall. Annotat. super Conc. Trid. cum Diss. de recept. et auctoritate eiusdem in Gallia. Canones Concilii Romae 1564. deinde quam saepissime editi sunt. De Congreg. pro interpr. Conc. Tr.

§. IV.

Accessiones Ecclesiae Romanae inter gentiles.

Pari prudentia in *proferendis finibus Ecclesiae et imperii sui* versati sunt saepius iidem *Pontifices*. Post frustra tentatas Protestantium ecclesias, et Iesuitarum varios conatus Seculo XVI. ut *Francisci Xaverii* in *India orientali* et *Iaponia*, *Matthaei Riccii* in *Sinensi* imperio, aliorum in *Abyssinia*, gente quidem christiana, sed eadem schismatica Ecclesiae Graecae; Seculo XVII. haec studia gentes extra Europam colentes ad sacra Romana traducendi, multo maiori robore et successu creverunt. Condita est a *Gregorio* XV. Pont. a. MDCXXII. *Congregatio de propaganda fide*; additum ab *Urbano* VIII. a. MDCXXVII. *Collegium* seu *Seminarium pro fide propaganda*: utrumque studia illa efficacissime adiuvit. Apud *Indos orientales* permulti, praesertim in regno *Madaurensi*, accedente pia, quam vocant, fraude Iesuitarum,

horum dogmata receperunt. In *Sinis* eidem religioni tot asseclae et tanta iura accesserunt, benevolentia maxime Imperatoris *Chanhii*, exeunte Seculo, ut huius ipsius transitus ad Ecclesiam Ro. speraretur. *Paraquariam*, australis Americae provinciam Hispanicam, Iesuitae, postquam iis penitus regenda permissa fuit, et Christianam et sanctissimam, quod ipsi gloriabantur, reddiderunt. Sed hae tantae aliaeque non dissimiles spes Seculo partim eodem; partim XVIII. maxima sui parte exstinctae sunt. *Abyssiniae* quidem et *Iaponiae* aditu, medio Seculo XVII. in omne aevum prohibiti sunt fidei Romanae praecones. *Indicae* et *Sinensis Missionis*, (ita enim legationes eiusmodi appellant,) fructus ipsi *dissidiis* et *litibus* longis atque acerbissimis, quas inter se gessere, ineunte hoc Seculo everterunt. *Paraquaricae* denique Ecclesiae laudes avaritiae, dominationis et rebellionis fama hoc nostro aevo foedarunt *).

*) Praeter scriptores historiae, legendi: *Urb. Cerrii* libro hetrusce scripto, et angl. ac gall. converso, de statu praesenti Eccl. Ro. Epistolae Iesuitarum gallice editae de progressu legationum fidei caussa extra Europam susceptarum, (Lettres édifiantes et curieuses etc.) *Iob. Ludolfi* Hist. Aethiopica. *Kaempferi* et *Carolovocii* (Charlevoix) Hist. Iaponica. *Io. Bapt. Haldii* Historia Sinensis, e gallico germ. facta, adiuncta *Moshemii* Hist. Eccl. Sinens. recentiss. *Norberti* Commentarii Historici, 7 Voll. 4. gall. editi. *Muratorii* Apologia pro Miss. Paraquar. et editus auctoritate aulae Lusitan. libellus de Iesuitarum in ea regione motibus. Alii plurimi. De Missionibus Africanis, Americanis, Tibetana.

§. V.

Eaedem tentatae apud Protestantes.

Aliis machinationibus *Protestantium Ecclesias sui* rursus *iuris facere* studuerunt *Romani Pontifices*, eorumque ministri, et, si hoc non liceret, eas prorsus evertere. Quorum consiliorum partem ali-

aliquam, sed leviorem tantum, exsecuti sunt illi quidem *a*); verum ita, ut eorum artes et crudeles iniurias tanto magis horrerent Protestantes. Certe Seculo XVII. *Christinam*, Sueciae Reginam, *Iacobum II.* Regem Magnae Britanniae, et *Fridericum Augustum*, Electorem Saxoniae; Seculo XVIII. alios Protestantium Principes, Ecclesiae suae reconciliarunt; neque tamen ditiones eorum simul imperio suo adiungere potuerunt. *Iacobus* inprimis, cum legibus Angliae violatis, Romana sacra ei obtrudere vellet, anno MDCLXXXVIII. solio deiectus est, cautumque ab Ordinibus Regni, ne quis Pontificus in eo succederet *b*). In *Germania* postquam iniquius habiti erant Protestantes, inprimis in *Bohemia* bellum triginta annorum exarsit, cui finem attulit *pax Westphalica* a. MDCXLVIII. quae ipsis, cum per *Edictum Restitutionis* anno MDCXXIX. ad incitas fere redacti essent, longe quam ante maiorem in exercenda religione securitatem, imo et potentiam attulit *c*). *Reformatorum* contra in *Gallia* coetus diu vexatus, anno MDCLXXXV. privatus *Edicto Nannentensi*, partim regno eiectus, partim militari vi ad deserenda sacra adactus est; non tamen adeo inhumana crudelitate exstinctus *d*). Permulta etiam in eodem regno, et magis in *Sabaudicis* terris, *Valdensium* reliquiae *e*); in *Ungaria* et *Polonia f*). Protestantes passi sunt Cleri Romani culpa, cuius pars magna ad hodiernum usque diem saevire in Christianos aliter sententies iustum et christianum existimat *g*). Sed meliora denique ijs fata *Ungaria*, aliisque terris *Austriacis*, et *Polonia*, nostra aetate contigerunt *h*).

a) Quasdam ex secretis horum consiliorum rationibus nudavit *Cerrii* liber iam laudatus.

b) (*Arkenholzii*) Commentarii de Regina Christina *Burneti* Hist. sui temporis. *Rapini* et *Humii* Hist. Angl. alii.

c) Epitome Rerum Germanicarum. *Sam. Pufendorfii* Commentar. de rebus Suecicis LL. XXVI. *Adamus Pfan-*

nerus

perus et *Bugentius* (Bougeant) in hist. pacis Westphal. Alii.

d) *Benedicti* Hist. Ed. Nannet. *Volterius* in historia regni Lud. XIV. De fatis Protestt. in Gallia liber e gall. german. redditus.

e) *Sleidan.* Commentar. L. XVI. *Thuan.* Hist. L. VI. *Legerii* Hist. Eccles. Valdensium.

f) Hist. Eccles. Reform. in Hungaria, L. III. Hist. diplomat. de statu relig. Euangel. in Hung. 1710. fol. *Anon.* liber germanice scriptus a. 1772. de iuribus Dissidentium in Polonia. *C. G. F. Walchii* Hist. relig. Euang. Luther.

g) Quod *Mart. Bironii*, *Io. Damiani*, aliorumque libri loquuntur. Crudelitatis in Protestantes per Galliam specimina, regnante Ludov. XV.

h) Acta et leges, e quibus hoc intelligitur, collegere *Walchius* in Hist. relig. recentiss. Actor. Hist. Eccl. nostri temp. auctt. Alii.

§. VI.

Potestas Roman. Pontificum magis in dies imminuta.

In ipsa tamen Ecclesia sua insignem *dignitatis* et *potestatis iacturam* fecit Clerus Ro. ipsosque *Pontifices Ro-* idem fatum mansit. Intellexerunt sane *Principes* illis addicti, Protestantium exemplo moniti, et se et cives suos multo tranquilliores et beatiores vivere, imminutis opibus et iuribus Cleri immensis, quae ipsis partim subtraxisset. Itaque hoc egerunt, aetate maxime postrema, ut *maiorem* sibi *in Clericos terrarum suarum auctoritatem* vindicarent, et aliquanto *liberiores se* praestarent *a Pontificum Ro. decretis et exactionibus pecuniariis.* Hinc ortae sunt non paucae *cum his controversiae Principum*, quarum exitus perraro laetus fuit Pontificibus. Ex hoc genere fuere *Venetorum lites* cum *Paullo V.* ab a. MDCVI. *Iohannis IV.* Regis Lusitaniae, ab a. MDCXLI. cum *Urbano VIII. Ludovici XIV.* R. Francogall. cum *Alexandro VII. Inno-*

Innocentio XI. et *XII.* a. MDCLXII. sq. et a. MDCLXXVIII sq. denique a. MDCLXXXVII sq. *Iosephi I.* Caesaris cum *Clemente XI.* ab anno MDCCVII. *Caroli VI.* Caes. ab a MDCCXV. cum *eodem; Iohanni V.* R. Portug. *cum eodem* et *successoribus* eius; *Venetorum* cum *Benedicto XIV.* et *Clemente XIII.*; multorum *Principum*, inprimis *Borboniorum*, cum eodem *Clemente*, cet. *Electio Pontiff. Ro.* a. *voluntate Principum* pendere coepit. *Pecuniae* ad illos nimis copiose mananti nonnulli exitus praeclusi. *Bullarum Pontificiarum* vis et dignitas Principum arbitrio subiectae. Nobilis inter eas, quae *Coenae Domini* dicitur, per plures terras, inconsulto Pontifice, *abrogata. Monachi* apud Venetos et in Austriaca ditione, ad *Episcoporum* obsequia reducti. *Numerus monachorum accisus*, et *reformatio* eorum tentata lege Principum. Inprimis *Iosephus II.* Imp. plurima coenobia sustulit in terris suis, statumque earum ecclesiasticum, vel inscio, vel invito Pont. Ro. in melius mutavit; quod frustra itinere ad eum suscepto, a. MDCCLXXXII. impedire conatus est *Pius VI.* *). Tandem *Pius VII.* post varia fata restituto inprimis nostris diebus Iesuitarum ordine pristinam rerum faciem restituere conatus est.

*) *Thuan.* Hist. L. XXXVII. *Paulli Sarpii* libelli per eam occasionem editi, indrimis Hist. Interdicti Veneti. eiusque vita a *Fulgentio, Griselino* et aliis scripta. *Ism. Bullialdi* libelli duo pro Ecclesiis Lusitan. Argentor. 1670. 8. *Bossueti* Defensio declarat. Cleri Gallic a. 1672. de potest. ecclesiast. *I. W. Iaegeri* Hist. Eccl. Seculi XVII. *Voltarii* Historia regni Ludovici XIV. *Arkenholzii* Commentarii T. II. *Buderi* vita Clement. XI. et *Schmaussii* vita Iosephi I. germanice scriptae, ac praeter alios plurimos recentiores, auctor Hist. pragmaticae Bullae in Coena Domini. *C. G. F. Walchii* Hist. relig. recentiss. *P. P. Wolfii* Hist. Eccl. Pontif. regnante Pio VI. Acta Hist. Eccl. nostri temp. et *Henkii* Archiv. Hist. Eccl. recentiss. qui omnes dialecto patria usi sunt.

§. VII.

Pontifices Romani maxime memorabiles, eorumque artes regnandi.

Eo igitur tandem res deducta est, ut *potestas Romanorum Pontiff. in ipsa Romana Ecclesia* sit tantum *precaria*, hoc est, qualem et quantam patiuntur esse Principes ac Respublicae. Nam quicumque Pontifices huius aetatis vehementia consiliorum et actorum veterem potentiam recuperare ausi sunt, ut *Paulus* V. ineunte Sec. XVII. *Clemens* XI. sub initia Seculi XVIII. alii, hoc tantum consecuti sunt, ut sentirent, quantam illius partem amiserint. Fuerunt etiam inter eos, qui gubernatione Ecclesiae suae aliis permissa, non parum detrimenti adferrent honori et opibus suis, ut *Innocent.* X. et *Benedictus* XIII. Contra qui callida moderatione usi, Principum animos flexerunt, nonnullum operae pretium fecere. Prudentiae quidem laude floruit inprimis *Sixtus* V. P. R. ab a. MDLXXXV. qui, licet acerbior et iracundior, autoritatem tamen Pontificiam non male tuitus est, successoribus suis coacervata numorum copia, Vaticanae bibliothecae, pulchritudini urbis Romanae, et terrarum Pontificiarum securitati feliciter prospexit; ceterum suo tamen seculo aptior fuit, quam secutis. *Innocent.* XI. et XII. quorum ille ab a. XCI. Sec. XVII. Ecclesiae Ro. praefuit, severioris disciplinae amore eminuerunt. *Benedictus* XIV. ab a. XL. Seculi praeteriti et *Clemens* XIV. ab a. eiusdem LXIX. vi temperata, humanitate, sapienti temporum et hominum usu, liberior item animo, factisque laudandis, non tenuem nominis gloriam adepti sunt. Neque tamen vel sic labentem dignitatem et iurisdictionem suam satis sustentare potuerunt, cuius coercendae necessitatem doctores et scriptores Ecclesiae Ro. quidam praestantiores ab annis inde CL. suaserunt *).

*) Gre-

*) *Greg. Letii* et *Casim. Tempestii* vitae Sixti V. *Bzovii* vita Paulli V. *Clement.* XI. Orationes, Epistt. Brevia, cet. et dicta de eo ad §. VI. *Benedicti* XIV. Opera. *Clem.* XIV. Epistolae, si quidem eius sunt omnes, sparsaeque multae per recentiorum opera de Pontiff. Ro. narrationes. Adde *Bowerii* Hist. eorumdem, ex anglico germanice versam.

§. VIII.

Theologi Ecclesiae Romanae doctiores.

Hoc ipsum nempe inter fructus quoque referendum est, quos ingens illa sacrorum emendatio Seculi XVI. in Ecclesia Pontificia edidit. Excitati sunt et quodammodo compulsi *doctores* eius a Protestantibus, ut *doctrinae copiam firmiorem et elegantiorem* sectarentur. *Reformatio* memorabilis *Ordinem Benedictinum* tetigit. Ex novis Ordinibus monasticis parum quidem *Capucinus*, crassiori sub aethere natus Sec. XVI. auctore *Matth. de Baschi*, sed tanto magis *Congregatio Patrum Oratorii*, quos in Italia *Phil. Nerius*, ie Gallia *Io. Berullus* instituit, Ecclesiae suae et litteris theologicis profuit *a*). Orti iam *theologi* hac luce doctrinae universae non indigni, in iisque praecipui, post *Erasmum: Iac. Sadoletus*, Card. et Episc. Carpentor. mort. a. MDXLVII. interpres SS. litterarum nequaquam spernendus; *Melch. Canus*, Dominic. Episc. Canar. m. a. MDLXI. *Locorum Theologg.* auctor acutus et disertus; *Bened. Arias Montanus*, Canon. Hispal. m. a. MDCXI. procurandis *Bibliis Regiis* plurimum laudis adeptus; *Rob. Bellarminus*, Card. e Soc. Iesu, *Controversarium* opere scribendo clarus, m. a. MDCXX; *Dion. Petavius*, Iesuita, chronologia, historia et antiquitate inprimis omni illustranda, opere etiam de *Dogmatibus theolog.* bene meritus, m. e. MDCLII; *Pe. Dan. Huetius*, Ep. Abrinc. m. a. MDCCXXI. *Demonstr. Euangel.* aliisque libris nobilis; *Rich. Simonius*, e PP. Orat. m. a. MDCCXII. cui crisis

et

et interpretatio SS. litterarum non parum debent; *Io. Mabillonius*, Ord. Bened. Patrum, historiae et antiquitatis christianae praeclarus interpres, m. a. MDCCVII. *Iac. Benign. Bossuetus*, Episc. Meld. vir inprimis eloquens et ingeniosus, astutus etiam Ecclesiae suae defensor, m. a. MDCCIV. *Bern. Montefalconius*, Benedict. m. a. MDCCXLI. iisdem cum *Mabillonio* meritis insignis; *Lud. Ant. Muratorius*, Biblioth. Mutin. mort. a. MDCCXLIX. vir doctissimus, et moderationis theologicae commendator; *August. Calmetus*, Benedict. interpres SS. Litter. non spernendus, m. a. MDCCLVII. et plures alii b).

a) *Helyoti*, *Waddingi* et aliorum libri supra laud. Vita *Io. Morini* per *Simonium*, p. 2 sq. De *Piaristis*, Iosepho Calasantio conditore.

b) *Nic. Antonii* Biblioth. Hisp. nova. *Pinii* Biblioth. Scriptt. Eccles. *Niceronii* vitae. Addendi: *Franc. Vatablus*, *Georg. Cassander*, *Io. Maldonatus*, *Iac. Sirmondus*, *Nat. Alexander*, alii.

§. IX.

Alii liberioris ingenii Theologi de eadem Ecclesia.

Sed cum plerique horum theologorum, qui plus ceteris sapiebant, Francogalli essent: natum est praeterea in eadem gente, quae nonnullam de religione et Pontif. Ro. sentiendi libertatem arripuit, *fortius et liberius* quoddam *doctorum genus*, quod ducem fere habuit *Paul. Sarpium*, Servitam Venetum, qui generoso et constanti animo, nec minore doctrina et prudentia, iura Principum ecclesiastica vindicavit, Pontificum oppugnavit dominationem, propius iam a sacris Protestantium distans, mort. a. MCCXXI a). *Gallis* autem etiam *Libertates*, quae vocantur, *Ecclesiae suae* tuendae erant. Itaque *Edm. Richerius*, D. et Synd. Sor-

Sorbonn. qui a. MDCXXXI. diem suum obiit, *Io. Launoius* es *Lud. Ellies Pinius*, eiusdem collegii DD. ille a. MDCLXXVII. hic a. MCCCXIX. mort. *Pe. de Marca*, Archiep. Paris. m. a. MDCLXII. aliique strenuam in eo operam posuerunt, utilissimi etiam in ceteris coetus sui doctores. Firmata est haec sentiendi ratio in conventu Clerici Gallic. anno MDCLXXXII. *b*). Transiit eadem denique ad *Germanorum Pontificiorum* partem: quod *Iustinii Febronii*, seu *Io. Nic. Honthemii* liber saluberrimi ingenii anno MDCCLXIII. editus, et ortae ex eo non tam controversiae, quam mutationes animorum manifestae, ostendunt; quas etiam palinodia auctoris, Romanae aulae cedentis denique in quibusdam, non evertit *c*). Superest, ut Principum potentia fulciantur haec talia consilia revocandae sensim in Ecclesiam pristinae libertatis: inter quos etiam fuere his annis postremis, qui ea variis modis, inprimis *emendata instituendae iuventutis ratione*, adiuvarent.

a) v. supra §. VI. annot. Opp. viri magni nostra aetate recusa sunt in Italia.

b) *Andr. Balleti* vita Rich. gallice scripta. *Niceronius* l. c. alii. *Bossueti* liber laud.

c) *Iusti Febronii Icti* de statu Ecclesiae et legitima potestate Pontificis Liber. *Walchii* Hist. relig. recentiss. T. I. VII. Summa hist. theologicae in Eccl. Ro. a Sec. XVI.

§. X.

Incrementa Eccl. Protesst. et consilia DD.

Protestantium doctores non minore contentione, sed alieniores ab artibus parum honestis, et vi in caussa religionis adhibenda, hoc egerunt, ut *Ecclesiae suae salutem atque honorem incolumem* servarent, eiusdemque *fines ampliores* redderent. Quamvis autem iis de caussis, quae commemoratae sunt, factum sit, ut nec Principes, nec gen-

tes

tes Europaeae plures post Sec. XVI. sacra Protestt. reciperent; tamen hoc satis magnum, et ad laudem ac dignitatem eorum uberrimi fructus est, quod *placita eorum* de libertate religionis adferenda, de Principum in sacris iuribus, de ecclesiastica societate legitime et utiliter constituenda, de doctorum christianorum officiis, aliaque his adfinia, *aditum sibi paraverint in* ipsam *Ecclesiam Ro.* pluriumque illic in dies sententiis, et actis atque ausis probentur. Neque tamen contemnendis *accessionibus auctae* sunt *Protestantium Ecclesiae*, partim singulorum hominum ad eas transitu, in his etiam perdoctorum virorum; partim *novis* quodammodo *coetibus* condendis. Nam et *Angli* atque *Batavi* non infeliciter in eo laborarunt, ut *Asiaticas* quasdam gentes a cultu idolorum ad christianam fidem traducerent, inde a Seculo superiori: quod consilium adiuvit maxime *Societas Regia de Propaganda Fide*, a *Guilelmo III.* M. Brit. Rege, renovata, et Daniae Rex *Fridericus IV.* ab a. MDCCV. *Trankenbariae* in India Orientali legationem fidei christianae caussa instituit, quae hodie quoque inter egregios successus floret. Ex *Archiepiscopi* autem *Salisburgensis* ditione, XXX fere hominum millia, ab a. MDCCXXXI. egressa, publice et constanter Euangelicam religionem professa sunt *).

*) Relatio de Soc. Reg. Brit. de P. F. gallice edita Roterod. 1708. 8. Utriusque *Franckii* Narrationes de Miss. Tranquebar. et *Nieccampii* Historia eiusdem, germ. gallice et latine publicata. *Goeschingii* Hist. emigrat. Salisb. germanice scripta. Alii, inprimisque *Walch* Compend. Hist. Eccl. recentiss. p. 23 sq. De aliis laetioribus Ecclesiarum Protestt. fatis.

§. IX.

§. XI.

Ius ecclesiast. Protestt. Doctores Euangelici primarii.

Sed cum in eo semper consenserint Protestantes, *iura* sua *magistratui in sacris et ecclesiasticis* tribuenda esse ex lege christianae doctrinae, et veteris ecclesiae exemplo; *accuratius* tamen haec iura *definita* demum sunt inde ab *Hug. Grotii* aetate inter Reformatos, et a *Christ. Thomasii* temporibus apud Euangelicos *a*). *Doctores* ipsi *harum ecclesiarum* libertate et munere sibi concesso, in religionem et quidquid ei vel prodesse possit vel obesse, inquirendi, non infeliciter defuncti sunt. Ac licet a *variis vitiis* non omnes immunes fuerint, *in eo* tamen *beati praedicandi*, quod remediis multis et verissimis corrigendorum aut minuendorum errorum abundent. In his *Euangelici* seu *Lutherani* partam Sec. XVI. laudem in Script. S. interpretanda, historia christiana illustranda, aliisque doctrinae theologicae partibus excolendis positam aliquamdiu integram servarunt: quae fuit aetas *Matthiae Flacii*, Theol. Ienens. sed in exilio mort. a. MDLXXV. *Mart. Chemnitii*, Superint. Eccl. Brunov. m. a. MDLXXXVI. et aliorum, *Melanchthonis* inprimis discipulorum. Labente vero a Seculi XVII. initiis cum huius auctoritate, ejusdem ratione discendae docendaeque theologiae, *philosophia Aristotelico-Scholastica* rursus invadente Ecclesiam Lutheranam, et *controversiarum theologicarum perpetuo agitandarum studio* plerosque omnes theologos occupante: negligentius fere ab iis Seculo superiori nobiliores quaedam theologiae partes tractae sunt, et vera ingeniorum libertas variis vinculis constricta. Habuit tamen haec Ecclesia per idem tempus accuratae scientiae theologicae statores nonnullos, ut *Io. Gerhardum*, Theol. Ienens. m. a. MDCXXXVII. *Georgium Calixtum*, doctorem Helmstad. mort. a. MDCLVI; *Salom. Glassium*, Ecclesiar. Gothan.

anti-

antistitem, eodem anno defunctum; et *Mart. Geierum*, in aula Elect. Sax. oratorem sacrorum, m. a. MDCLXXX. Restituta denique libertate philosophandi ac scribendi inter Lutheranos, et controversiis quibusdam acrioribus de emendandis rebus sacris factum est, ut nova eaque florentissima facies universae theologiae succederet; etsi ipsa quoque variis vicibus turbata. Ornarunt eam maxime *Godofr. Olearius*, Theol. Lips. m. a. MDCCXV; *Salomo Deylingius*, eiusdem Acad. doctor, m. a. MDCCLV; *Io. Gustav. Reinbeck*, Praepositus Eccl. Berol. m. a. MDCCXLI; *Christoph. Matth. Pfaffius*, Cancell. Tubingensis, m. a. MDCCLX; *Io. Laur. Moshemius*, Cancellar. Acad. Goetting. m. a. MDCCLV; *Sigism. Iac. Baumgartenius*, Theol. Halens. mortuus anno MDCCLVII; *Io. Gottlob Carpzovius*, Antistes Eccl. Lubecens. mort. a. MDCCLXVII. *Io. Aug. Ernesti*, Theol. Lips. m. a. MDCCLXXXI. *Io. Frid. Guil. Ierusalem*, Theol. Brunovic. m. a. Sec. LXXXIX. *Io. Sal. Semler*, Theol. Halens. et *Io. Dav. Michaelis*, doctor Goetting. m. a. XCI. *Sam. Frid. Nathan. Morus*, Theol. Lips. et *Io. Christ. Döderlein*, Theol. Ienens. mortui a. XCII. *Gothofr. Leſs*. m. a. XCVII. et cum his plures *b*).

a) *Grotius* de imperio supr. potest. circa sacra Disputt. de Principp. iure episcopali, suprema in cives iurisdictione, aliisque fundamentis iuris eccles.

b) His adiungendi e Sec. XVI. *Gerh. Andr. Hyperius* et *Vict. Strigelius*; e XVII. *Io. Bened. Carpzovius* minor. *Io. Musaeus*, *Io. Tarnovius*, *Io. Saubertus*, *Theod. Hackspanius*, *Aug. Pfeifferus*; e XVIII. *Io. Franc. Buddeus*, *Io. Alb. Fabricius*, *Ern. Sal. Cyprianus*, *Gust. Georg. Zeltnerus*, *Christ. Bened. Michaelis*, *Val. Ern. Loescherus*, *Io. Guil. Ianus*, *Chr. Aug. Heumannus*, *G. T. Zachariae*, *Christ. Guil. Thalemannus*, *Christ. Guil. Franc. Walchius*, *Io. Andr. Cramerus*, *Georg. Frid. Seiler*, *Guil. Abrah. Teller*, *Io. Ben. Carpzovius* uterque, alii. Conf. *Adami* vitas Germ. Theologg. *Wittenii* et *Pippingii* Memor. Theolog. *Weismanni* Memorab. Hist. Eccles. *Niceron*. l. c. *Brucker*. Pinacoth. alios. Hist. Theologicae

ologicae apud Euangelicos inde a Reformat. brevis adumbratio.

§. XII.

Reformatae Eccl. doctores principes. Vtriusque Eccl. consociatio tentata.

Doctores Ecclesiae Reformatae eamdem cum Lutheranis prima aetate viam ingressi, nec sine laude eximia, Seculo XVII. aliquanto tenacius quam isti, (certe Francogalli et Anglobritanni,) elegantiorem illam rationem secuti sunt, nec tricis scholasticis et litibus theologicis intemperantioribus, passi sunt sese a sacrarum litterarum interpretatione, antiquitatis christianae et historiae ecclesiasticae studio longius avocari. Habuit igitur haec Ecclesia a *Bezae* aetate praeclaros viros, in his qui sequuntur: *Mosen Amyraldum*, Theol. Salmuriens. m. a. Seculi XVII. XIV; *Petr. Molinaeum*, doctorum Sedanens. m. a. XVIII; *Frider. Spanhemium*, patrem et filium, Theologg. Genev. et Lugd. Bat. illum a. MDCXLIX. hunc a. MDCCI. mort. *Io. Dallaeum*, ministrum sacrorum Carenton. m. a. MDCLXX. *Ludov. Capellum*, Theol. Salmuriens. m. a. MDCLVIII. *Sam. Bochartum*, Ecclesiasten Cadomens. mort. a. MDCLXVI. *Io. Pearsonium*, Episc. Cestr. mort. a. MDCLXXXVIII. *Io. Millium*, Theol. Oxon. m. a. Seculi nostri VII. *Herm. Witsium*. Theol. Lugd. in Batavis; m. a. VIII. *Campeg. Vitringam*, Theol. Franek. m. a. XXII. *Sam. Clarkium*, Lond. doctorem. m. a. XXXIX. *Io. Alph. Turretinum*, Theol. Genev. m. a. XXXVII. *Sam. Werenfelsium*, Theol. Basil. m. a. XL. *Isaac Bellosobrium*, Theol. Berol. m. a. XXXVIII. *Dan. Ern.* et *Paul. Ern. Iablonskios*, illum Berol. Theol. a. XLI. mortuum, hunc Francof. ad Viadr. m. a. LVII. *Alb. Schultensium*, Theol. Lugd. Bat. m. a. L.; *Georg. Bensonium*.

Ecclesiast. Londin. m. a. LXV. *Beni. Kennicotum*, doct. Oxoniensem, m. a. LXXXIII. *Aug. Frid. Guil. Sackium*, Theol. Berol. m. a. LXXXVI. et alios non dissimiles *a*). *Utramque* autem *Ecclesiam*, communi ab origine progressam, et ad idem consilium primarium tendentem, etsi *penitus* inter se *copulare* frustra conati sint doctores quidam, et ipsi Principes, XVII. et superiori Seculo *b*); tamen vel quodammodo a se disiunctis nihil ad opportunitatem bene de religione merendi defuit, apparuitque, immaturum et ardentius ex illo genere studium etiam noxium esse.

a) His addi possunt: *Seb. Castellio, Dan. Chamierius, Io. Buxtorfius* uterque, *Abr. Scultetus, Io. Henr. Hottingerus, Io. Henr. Heideggerus, Iac. Usserius, Io. Placeta, Bened. Pictetus, Iac. Elsnerus, Iac. Infantius, Iac. Abbadius, Io. Lelandus. Nath. Lardnerus. Rob. Lowth. Iac. Vernet*, alii. Conf. *Niceron. Weism.* et *Brucker.* ll. cc *Freheri* Theatrum, alios. Theolog. doctrinae vices apud Reformatos. De omni hist. theolog. huius periodi *Pfaffius, Buddeus, Walchius* pater, alii, tradidere.

b) *I. G. Walchii* Hist. controverss. de relig. extra Eccles. Euang. agitat. germanice edita, T. I. et III. *Cyprianus, Pfaffius, Turretinus*, alii, de pace ecclesiastica.

CAPVT III.

Historia Controversiarum de religione christ. exortarum, et mutationum, quas experta est.

§. I.

Status relig. christianae qui Protestt. debetur, eiusque varii usus.

A conditoribus quidem utriusque Ecclesiae *non hoc actum* est, *ut* christiana religio, introducta illa sentiendi libertate, quam tot Secula ignorave-

raverant, *ad arbitrium singulorum hominum* fingendique quamdam licentiam *detruderetur*, (quae est hostium illius manifesta calumnia;) sed, ut, profluente denuo publice *fonte religionis* purissimo, *Scriptura S.* liceret christianis omnibus, nulla humana auctoritate impediente, sed Spiritu duce divino, omnibus concesso, fidei morumque praecepta ex eo haurire, et honori atque utilitati religionis consulere. In quo si quemque facultate ingenii aut doctrinae suae uti voluerunt, nihil abhorrens a christiana et veteris etiam Ecclesiae libertate sanxere; sed cum hac tamen existimantes, *summam religionis* ab omnibus recipiendam ea *perspicuitate* propositam esse in sacris litteris, omninoque proponendam fuisse, ut intelligi quam facillime possit. At illa necessaria et salutari *libertate* alii *melius usi* sunt, alii *deterius. Doctores* inprimis *Protestantium minus libere* aut *liberaliter nonnumquam* in religione investiganda et purganda ab humanis decretis versati, non semper operae pretium satis magnum fecere. Quandoque etiam visi sunt *opiniones suas anteferre vere christianis sententiis*, et prae minoribus curis, gravissimum illud *interpretandae et commendandae religionis munus levius obire.* Quodsi antiquam religionis simplicitatem in indolem beneficam non prorsus revocarunt, et humanae aliquid dandum est imbecillitati, et difficultati rei, fatendumque non paucos eorum laudabilem in eo operam posuisse *)

*) De *Symbolorum fidei* apud Protest. consilio et auctoritate, natisque super ista litibus. De *rationis et philosophiae auctoritate in relig. christ. constituenda*, a non paucis eorum stabilita.

§. II.

Controversiae de religione gestae, inprimis Euangelicorum Sec. XVI.

Iidem doctores multas *religionis caussa con-*

troversias tractarunt, in his quasdam *acerbius*, nonnullas etiam *futiles*; sed *plerasque* tamen non sine aliquo religionis, certe theologicae doctrinae, fructu. Dissidiorum quidem inter eos enatorum et *caussae* variae fuerunt, ut non nisi per vim Christianis merito cavendam vitari omnes potuissent; et *eventus* non iidem. *Neque* vero paecipua *religionis* Protestantium *capita* his litibus *mutata* sunt; sed *quaesitum* potius, quod ipsos unice decebat, *quaenam* in eorum cognitione accuratiore *emendanda supersint*, et quibus modis hoc praestari queat rectissime. Intellectum etiam est, multo *minus malum* esse dissensionis huiusmodi, quam servitutem ex unius aut paucorum doctorum decretis, quibus refragari non liceat, nascentem. Inter *Euangelicos* quidem post fata *Lutheri*, ab a. MDXLVIII. multae *intestinae controversiae* exortae sunt: partim quod Theologi Saxoniae Electoralis e Misnicae iusto faciliores erga Pontificios et Reformatos viderentur; partim quod dux eorum *Melanchthon* cum discipulis suis ad sententias quasdam minus acerbiores delapsus crederetur. Hi fuerunt fontes *Interimisticae* seu *Adiaphoristicae*, *Synergisticae*, deinde *Georg. Maioris*, *Cryptocaluinisticae* utriusque, et aliarum litium. Eae quamquam invidiosius et durius, facto inprimis per *Flacium* initio, agitatae sunt; tamen nonnullae earum Ecclesiae, omnes posteritati profuerunt *a*). Sopivit plerasque fere *Formula Concordiae*, *Augusti*, Electoris Saxoniae, auspiciis scripta a. MDLXXVII. eadem autem magis etiam Euangelicos a Reformatis distraxit *b*).

a) De his, *Flacianis* item, et antea *Osiandrinis*, *Schwenkfeldianis*, aliisque minoribus, late *Walchius* pater in Hist. controverss. in Eccles. Luther. gestarum populari sermone edita, T. I. *Planckius* in Hist. Theol. protestant. *Loescheri* Hist. motuum inter Evangel. et Reform. *Arnoldi* Hist. eccles. et haeresiol. *Ritterus* in vita Flacii.

b) *Rud. Hospiniani* et *Leon. Hutteri* opera sibi opposita, et

et scriptores hist. symbolorum Eccl. Euang. plerique etiam annot. a. laudati. De caussis reprobatae etiam ab Euangelicorum plurimis huius Formulae.

§. III.

Eorumdem lites Syncretisticae et Pietisticae Sec. XVII.

Cum postea *libertas*, quam Eccelsia Euangelica primordiis suis sibi vindicaverat, *arctioribus limitibus constricta* fuisset; *novarum sententiarum auctores* et scriptores liberiores acerbius excepti, placita autem vel religionis arcem parum attingentia, vel eam omnino non mutantia, velut fidei christianae inimicissima, oppugnata sunt. Ita *Georgii Calixti* magnum ingenium, sed mitior, praesertim in suadenda reconciliatione Euangelicorum cum Reformatis et Pontificiis, acerrimis quadraginta annorum litibus post a. MDCXXX. occasionem dedit, quae *Syncretisticae* et *Calixtinae* dictae sunt. Obtigerunt ei adversarii adeo iracundi, ut per eos non steterit, quo minus, nova formula repetitae doctrinae Euangelicae proposita, et ipse et fautores eius inter haereticos censerentur [a]). Hoc dissidio vix sensim exspirante, successit *Pietisticum*, ab anno eiusdem Seculi fere LXXX. Nam quod *Philip. Iac. Spenerus*, qui primum Francofurti ad Moenum, deinde Dresdae, postremo Berolini, sacris praefuit, mort. a. MDCCV. vir et doctissimus et optimus, meritisque excellentibus immortalis, institutionem doctorum Ecclesiae, theologiae universae formam, certandi ardorem, dicendi pro concione rationem, aliaque in statu Ecclesiae, doctoribus eius, institutis et moribus publicis multo magis doctrinae puritatem spectantibus, quam pietatem, emendari vellet, partim et exemplo suo emendaret, eodemque consilio *a receptis sententiis nonnihil discederet*: corruptae doctrinae christianae a multis accusatus est. Qui et con-

consiliis eius obtemperabant, et severiorem pietatem sectabantur, etiam in externis, quam ille tantopere commendabat, per convicium *Pietistae* adpellati sunt. Postquam *annis* prope *quadraginta*, ingentibus animorum motibus, et subnascentibus in dies novis dimicandi caussis, pugnatum esset, is exitus fuit, ut *res theologica et Ecclesiae* Euang. universae aliquanto *meliorem faciem* indueret: estque multis vel silentibus confessio expressa, *Speneri* consilia pleraque utilia et necessaria fuisse; etsi nonnumquam cum suis, facilitate in eos qui pii viderentur, et quibusdam animo quam accurata ratione melioribus dictis, lapsus esset vir egregius *b*).

a) *Walchius*, *Arnoldus*, *Weismannus* libris laudatis *Abrah. Calovii* Hist. Syncretist. et aequius multo *Sal. Glassii* de his litibus Consilium.

b) *Walch.* et *Weism.* ll. cc. *Speneri* Pia Desideria, Consilia theolog. et germanice scripta et alia latine, librique plures. *Schelwigii*, *Loescheri*, *Ioach. Langii* narrationes ceterisque sapientior *Pachomius* (h. e. *Zeltnerus*) in Sylloge Logomachiar. Pietisticarum. De aliis velitationibus eiusdem Seculi, ut *Rathmannianis*, *Giessensium* Theologg. cum *Tubingens*. *Arndianis*, cet. Motus fanaticorum hominum, ut *Iac. Boehmii*, et *Ioh. Guil. Petersenii*; aut optimo animo, sed exilii iudicio, novantium atque reformantium quaedam in Ecclesia, v. c. *Gothofr. Arnoldi*, *Dippelii*, *Boesii*, *Schadii*, alior. De eiecta, auctore *Christ. Thomasio*, philosophia Aristot. Scholastica ex Ecclesia, *Brucker*, Hist. crit. Philos. T. V.

§. IV.

Libertas sentiendi scribendique maxima. Controversia Wolfiana, aliaeque postremae aetatis.

Per eamdem occasionem, et alias eiusdem temporis, *libertas sentiendi de religione*, *philosophandi et scribendi* in hac Ecclesia quasi postliminio in lucem emersit; sed multo quam umquam maior et amplior: quod apparuit in controversiis

non

non paucis, quas aetas recentior vidit. Sane *Wolfiana* illa, quam *Christ. Wolfii*, Philosophi Halensis acutissimi et multis meritis illustris, a. MDCCLIV. mortui, nova philosophandi ratio non modo, sed inprimis eiusdem commendatio et usus in theologia, ab a. fere MDCCXX. pepererunt, et praecipua ingeniorum libertate gesta est, et eamdem acuit atque auxit; neque illa inutilis Ecclesiae, quod praestantium virorum, ut *Reinbeckii*, *Bilfingeri*, *Canzii*, *Ribovii*, in ea partes fuissent non exiguae, qui reliquorum aestum prudentia et acumine suo moderarentur a). Idem spiritus liberior doctorum et scriptorum Ecclesiae Euangelicae tantos denique progressus fecit, ut fuerint multi, qui eum exitialem religioni ipsi crederent, cuius capita nobiliora post a. LX. huius Seculi vel dubitando vel oppugnando publice labefactarentur: accedente aperta virorum ingeniosorum et doctissimorum professione, *non pauca corrigenda* esse *in corpore doctrinae Lutheranae*. Sed in omni hac libertate usurpanda, observatum est adhuc, si *accurata doctrina*, *veri studium*, *reverentia sacr. litterarum* et *modestia philosophantium* coniuncta cernantur nihil ab ea summae fidei christianae metuendum esse; sin ista absint, omniaque ingenio res divinas sibi accommodante iudicentur, *licentiam* esse, cuius opiniones et commenta dies sensim deletura sit c).

a) Legendi: *Bruckerus* in Hist. Crit. Philos. Vol VI. et *Ludovicus* in Hist. Philos. Wolf. Sed omnino haec historia, praesertim qua parte tangit Ecclesiam et Theologiam, scriptorem adhuc suum desiderat.

b) *Ernesti* Biblioth. theolog. *Nicolai* Bibliotheca catholica Berolinensis. Nova litteraturae universae Ienensis. Minores lites huius aetatis, in quibus tamen sunt memoratu dignae, ut illa de virtute verbi divini, enarrat *Walch*. Hist. Ecclesiae recentiss. Conf. *Stoschii* Hist. eccles. Sec. XVIII. et germanice scriptos commentarios diversi generis de rebus ecclesiasticis nostrae aetatis. Eminent inter controversias recentissimas, quae cum *Semlero*, *Tellero*, *Basedovio*, *Töllnero*, *Eberhardo*, ge-

stae

stae sunt a formulae receptae defensoribus. Accessit Philosophorum e *Kantii* schola in reformanda Theologia conatus, obsistentibus aliis. Subsecutae sunt deinque lites cum *Fichtio*, *Schellingio*, aliis.

§. V.

Coetus Herrnhuthianorum, seu Fratrum Euangeli.

Eodem e fonte libertatis in Ecclesiae Euangelicae partibus nonnullis regnantis, fluxere plura alia, iam certi usus, iam ambigui, ut *institutionis* publicae theologicae variae *vices; novarum interpretationum Script. S.* proferendarum facultas viris doctis tributa; *librorum symbolicorum* imminuta dignitas; *novae versiones s. codicis* lingua populari conditae; abiectae *sententiae* quaedam *veteres*, quibuscum religio olim ruere videbatur, alia. Sed non defuere, qui intemeratam erga christianam religionem reverentiam conservarent. Qui vulgo *Herrnhuthianorum* coetus dicitur, (ipse *Ecclesiae Fratrum Euangelicae* nomen sibi tribuit,) coaluit ab a. inde MDCCXXII. prope Zittaviam Lusatiae superioris, ubi *Herrnhuthi* sedem accepit; sed etiam per multas alias regiones propagatus. Cuius auctor et caput, *Nicolaus Ludovicus* Comes *Zinzendorfius*, anno Seculi LX. vita functus, hoc egit inprimis, ut societatem Christianorum, qui omnes sancte viverent, etsi praeter *dogma de redemtione hominum per Christum*, idque sentiendum potius quam cognoscendum, non eadem de cunctis religionis capitibus sentirent, cogeret, mistam e *Fratribus Bohemis* ac *Moravis*, *Euangelicis* et *Reformatis*. In quo eum successus quidem minime destituit; idem tamen religionem nimium quantum ad *sensus fallaces* et *phantasiae lusus* revocavit. Sapientiores discipuli post obitum eius fuere, qui non pauca magistri placita accuratius definiverunt *).

*) Aug.

*) *Aug. Gottlieb Spangenbergii*, Episc. huius coetus, mort. a. Sec. XCII. vita Zinzend. et Idea fidei Fratrum; *D. Cranzii* Hist. Eccles. Fratrum vetus et nova, eiusdemque Hist. Grönlandica; *Oldendorpii* et aliorum ex eodem coetu libri; omnes germanice scripti. *Walchii* Hist. relig. recentiss. T. III. *I. G. Carpzovii, I. A. Bengelii* et *I. P. Fresenii* de eodem coetu narrationes, ad eum oppugnandum compositae.

§. VI.

Dissidia Eccles. Reformatae. Cartesianae et Coccianae lites. Aliae.

Reformata Ecclesia *similem* fere *libertatem* non dispares inter vicissitudines, nec ubique eamdem servans, apud *Anglos* etiam et *Batavos* primum maiorem illam adepta, quam secuti sunt Protestantium reliqui, variis hinc et ipsa controversiis agitata est. Ita *Puritani*, qui et *Presbyteriani*, cum *Episcopalibus* in *Anglia*, exeunte propemodum Sec. XVI. de gubernatione Ecclesiae, iureque divino Episcoporum, de ritibus ecclesiasticis, cet. acerrimas lites gesserunt, nec pauca pertulerunt adversa; quibus civiles turbae Sec. XVII. insperatum exitum dedere; sed omnia pacata sunt, lata tandem anno MDCLXXXIX. *lege*, quae vulgo *Tolerantiae* dicitur *a*). In *Batavica* Ecclesia theologorum *Ren. Cartesii* philosophiam medio Sec. XVII. adoptantium exemplum *b*); mox etiam *Io. Cocceii*, Theol. Lugdun. m. a. LXIX. nova theologiae tradendae forma, quam *foederalem* dixere; *nova* item *Script. S. interpretandae ratio*, specie reverentiae ad ambiguitatem illi conciliandam, et licentiam indoctorum quidlibet ex ea eruendi adiuvandam comparata, quam etiam plurimi ad hunc diem secuti sunt, ingentes motus concitavere *c*). Per idem tempus *Reformatorum in Gallia* doctorum liberiores sententiae cum *Helvetiis* displicerent, ab his *Formula Consensus* a. Sec. LXXV. impugnatae sunt: in his eae quoque, de quibus opi-

opinionum divortia quaedam etiam utilia essent *d*). Sed aucta libertate sentiendi et scribendi, similia et gravioris momenti placita, etsi receptis contraria, amicis non caruere. Quod in *Balth. Beckeri*, Ecclesiasticae Amstelaedam. extremo Seculo XVII. conatu, vulgaria de daemonibus scita corrigendi, in quibusdam sane probando, apparuit *e*). Idem magis etiam spectatum est in iis, quae *Anglorum* theologorum nonnulli hoc et superiori Seculo de religione invicem disputarunt *f*).

Nicholsii Defensio Eccl. Anglic. *Nili* (Neal) Hist. Puritanor. *Burneti* Hist. sui temporis. Alii.

b) *Brucker*. Hist crit. Philos. T. IV. P. II. *Frid. Spanhemii* et aliorum libelli. De litibus *Roellianis*.

c) Praeter *Walchii* patris et *Weismanni* libros laudatos aliaque, legendi inprimis Dialogi gallice scripti de diversa Cocceianorum et Voëtianorum methodo interpret. Script. S. Amst. 1707. 8 Priorem rationem frustra in Eccl. Euang. regnare voluerunt *I. A. Bengelius* et *C. A. Crusius*.

d) *Pfaffius* de F. C. Helvet. et *Walchius* l. c. Memorandae etiam h. l. controversiae, quas *Amyraldus*, *Placaeus* et *Paionius* moverunt.

e) *Brucker*. Hist. crit. Phil. l. c. *Walch*. et *Weism*. ll. cc. Sententiarum de daemonum cum hominibus societate, magia, spectris, cet. et superstitionis reliquae inter Protest. fata.

f) De *Latitudinariis Moshem*. Institutt. p. 979. *Baumgarten*. Commentar. de Biblioth. Halens. T. III. p. 235. De recentioribus Anglor. omninoque Reformatt. controversiis. *Walch*. Hist. Eccl. recentiss. Eiusd. Hist. relig. recentiss. et *Stosch*. l. c. *Clarkii*, *Hoadlii*, *Sykii*, *Tayloris* et alior. in emendandis dogmatibus conatus.

§. VII.

Origines Coetus Arminianorum.

Vidit ergo haec quoque Ecclesia *novos* in sinu suo *coetus* oriri, quibus libertas publica profitendae formulae suae concessa est. Cum *Iac. Arminius*

minius, Theologus Batavorum Lugdunensis, *Calviniano* dogmati de *absoluto Dei decreto*, nondum universae Ecclesiae suae consensu probato, doctrinam euangelicam *de gratia Dei ad omnes homines pertinente*, opponeret, brevi ante obitum, qui contigit a. MDCIX. adeo vehementes ipse et amici adversarios nacti sunt, ab his etiam damnati in *Synodo Dordracena* a. MDCXVIII. ut tuentibus illis placita sua, singularis coetus *Arminianorum* seu *Remonstrantium* nasceretur. Qui diu vexatus tranquillas demum sedes in Belgio Foederatò accepit. Habuit autem praestantes doctrina, iudicio et moderatione theologica viros inter doctores suos, bene in multis de re christiana meritos, inprimis pacis ecclesiasticae perquam studiosos, etsi ab *Arminii* sententiis nonnihil deflectentes, ut *Sim. Episcopium, Steph. Curcellaeum, Phil. Limborchium, Io. Clericum, Io. Iac. Wetstenium*, et principem sane omnium, *Hug. Grotium*, qui a. MDCXLV. vivere desiit, non tam huius coetus, (nam medius postremo inter christianos dissentientes vixit,) quam Protestantium omnium ingenio sublimi potentissimum *).

*) *Casp. Brantii* vita Arm. iterum ed. a *Moshemio*, eiusdemque *Br.* vita *Grotii*, a *Lehmanno* quoque, *Bruckero, Burinio*, aliis scripta. *Limborchii* vita Episcopii. Opp. Arminianor. exegetica et dogmatica, eorumdemque Epistolae. De Syn. Dordr. *Gerard. Brandtii* Hist. Reformat. Belg. et *Io Halesii* Hist. Concil. Dordrac. a. *Moshemio* ed. et illustrata. De *Collegiantibus*.

§. VIII.

Quackerorum item, et Methodistarum.

Apud Anglos *Quackerorum* hoc est, *Trementium* familia, auctore *Georgio Foxo*, sutore, ab a. MDCXLVII. prodiit. Haec, spreto cultu divino publico, et munere doctorum ecclesiastico, *lucem* quamdam *interiorem*, mentibus hominum, *a Deo* im-

immissam excitari iubebat, ut verissima et saluberrima omnia docerentur, idque fieri dicebat, amotis sensibus a rebus externis, sine ullo aut certe pertenui sacrarum litterarum usu. Eadem secta severam morum disciplinam commendabat, a magistratu, iureiurando, bello, et communibus vitae rationibus plurimis, aliena. Ceterum pressa aliquamdiu, tandem et in Anglia, et maxime in America septentrionali, stabilem sedem invenit, occidente Sec. XVII. Quam benigniorem fortunam potissimum viris quibusdam doctis et prudentibus, qui vel dogmata eius exornarunt, vel auctoritate et legibus eam adiuverunt, *Rob. Barclaio, Georg. Keitho*, et *Guil. Penno,* debuit a). Obscurior est *Methodistarum* ortus, qui coetus in Anglia natus post a. MDCCXXX. parentibus *Weslaeis* fratribus, et *Whitfieldio,* ad nostram usque aetatem mirum quantum floruit et in emendanda doctrina Ecclesiae Episcopalis et adiuvanda pietate apud cives suos, nonnullum operae pretium fecit b).

a) *Georg. Croesii* Hist. Quacker. cum Dilucidationib. *Kohlhansii,* inprimisque *Georg. Sheweli* Hist. Quack. ex angl. germ. facta. *Barclaii* Apol. Theol. vere christianae.

b) *Alberti* Epistt. germ. de statu relig. et litter. in Anglia. *Walchii* Hist. eccles. recentiss. *Wendebornii* et maxime *Io. Hampsoni* narrationes. *Boguii* et *Bennetti* Hist. Dissentientium. Ex angl. germ. conversa in Stäudlinii Tabulario Hist. ecclesiast.

§. IX.

Religionis status et controverss. theologg. in Eccl. Romana. Iansenistae.

In *Romana Ecclesia* etsi religio pendeat adhuc revera ab unius Episcopi decretis; tamen, potestate eius vehementer concussa, factum est, ut *aliqua libertatis umbra* in Francogallico, Italico et Germanico coetu passim suboriretur; *dubitatio-*

tiones super religione quaedam in publicum exirent; *crasssoris superstitionis* exempla nonnulla delerentur in ritibus et forma docendi, *emollirenturque non pauca in doctrina publica*, Concilii Tridentini decreto et anathemate firmata. Atque ita plures Ecclesiae huius doctores, boni partim, partim callidi, iure suo sibi visi sunt conqueri iniquissima esse, quae Protestantes de corrupta in Ecclesia Ro. fide et pietate iactent: praesertim translata iam ab illis auctoritate falli nescia, quam pars maior Ecclesiae suae Pontifici Ro. adsignat, fallaci vocabulo in Ecclesiam ipsam: cuius hoc tam venerabile iudicium ubi edatur, unde cognoscendum sit, nemo docere potest *a*). Sed illa erumpentis timidiuscule libertatis in Ecclesia Ro. molimina hanc vim certe habuerunt, ut *graviores controversiae sedari* a Pontiff. Ro. *non possent*, et in ipsa hac Ecclesia *coetus* ab illis *reprobati* non surgerent modo, sed etiam *manerent*. Nam *Iansenistarum* gens, e libro posthumo *Corn. Iansenii*, Episc. Iprensis, a. MDCXXXIX. fatis functi, et *Mich. Baii* vestigia secuti, velut exclusa, damnata licet ab Episcopis Ro. quod cum eodem varios erroros, v. c. de mandatis divinis a Christianis non accurate exsequendis, de gratia Dei, cui resisti non possit, cet. alere crederetur, caussam suam fortiter tutata est, interpretibus maxime viris egregiis *Ant. Arnaldo*, *Pe. Nicolio*, *Pasch. Quenelio*, aliis. Nec nihil ea profuit commendando in Ecclesia Ro. studio Script. S. aliisque rebus quibusdam. *Bulla* autem *Unigenitus*, qua a. MDCCXIII. edita *Clemens XI.* Pont. R. Iansenismi fundamenta subruere conatus est, adeo non respondit huic consilio, ut potius innumerorem in Gallia clamores adversus Pontificis levitatem et imprudentiam in religione definienda concitaret. Unde *Appellantium* familia et turbae saepius repetitae ortum traxere *b*). Bulla ipsa Principum auctoritate passim sublata est nostro aevo.

a) v. *Bossueti* Exposit. fidei Eccl. Rom. *L. A. Muratori* lites. *Quirini* Cardin. Epist. ad Protestt. scriptae. *Trautsonii* Archiep. Epistola Pastoralis. Alia plurima.

b) *Iansenii* Augustinus, additaque vita auctoris. *Bayli* Lexicon. *Melch. Leydekeri* Historia Iansenismi. *Gerberonii* et aliorum historiae eiusdem familiae. *Colonia* Biblioth. Iansenistica. *Voltar.* hist. regni Ludov. XIV. *Pfaffii* Acta publica Constit. Unigen. Aliique permulti. Controversia *de auxiliis gratiae*, de *immacul.* concept. *B. M. Virg.* de *miraculis Franc. Parisii*, aliaeque in Eccl. Ro. motae, partim supra iam commemoratae, ut *Iesuitica*, *Febroniana*, cet.

§. X.

Ecclesiae Graecae fata.

Graeca seu *Orientalis* Ecclesia cum magna sui parte Ottomanorum imperio subiecta fuerit hac aetate, non modo veterem splendorem in illis regionibus amisit; sed etiam in religione eiusque scientia acutiore excolenda altius provehi ibidem non potuit. *Cyrilli Lucaris*, Patriarchae Constantinop. conatus, *Protestantium sacra cum Graecis coniungendi*, infaustum exitum in supplicio eius a. MCCXXXVIII. habuere. *Romanae* autem *Ecclesiae dogmata nonnulla* etsi Graecis permultis iam diu placuerint; hi tamen aegre ad palmarium illud de potestate Ro. Pontificis iis in terris, in quibus Clerus Romanus dominatur, recipiendum compulsi sunt. Frustra tentata est, eadem maxime de caussa, Ro. Ecclesiae cum *Ruthenica* consociatio. Huius quidem status florentior esse coepit ab aetate *Petri M.* Russorum Imperatoris, qui a. MDCCXXV. obiit. Hic enim et Cleri auctoritatem valde minuit, et eumdem doctiorem esse iussit: ut adeo ab eo tempore satis peritos religionis interpretes haec Ecclesia nacta sit, in his *Theophanem Procopovitium* et *Platonem*. Certe longe plus lucis et doctrinae superest apud eos Graecorum, quibus communio ecclesiastica cum Patriarcha

cha Constantinop. intercedit, quam inter *Nestorianorum* et *Iacobitarum* reliquias *).

*) *Thom. Smithi, Io. Mich. Heineccii, Iac. Elsneri*, et aliorum libri de statu recentiore Eccl. Graecae. *Alex. Helladii* eiusdem argumenti liber, sed gloriosior: quem confutavit *Gesnerus* in Misc. Lipss. De *Cyrillo Fabric.* Bibl. Graec. Vol. X. p. 499 sq. Lis de perpetua fide, Ecclesiae in doctrina de Eucharistia, a *Nicolio, Arnoldo, Claudio* agitata, et ad consensum Eccl. Graecae relata v. *Rich. Simonii* et aliorum libros. *I. G. Kingii* liber de caerimoniis Eccl. Graeco-Ruthen. ex angl. german. versus. *Alex. Stourdza* de doctrina hist. orthod. liber gallice scriptus et germanice versus. Alii.

§. XI.

Anabaptistae.

Verum praeter has maiores *Christianorum familias*, quarum quaeque religionis formam veluti propriam scriptis expressam servat adhuc et tuetur, *minores* quaedam subnatae sunt, favente eadem illa libertate de religione sentiendi, quae tot alias vicissitudines peperit, in summa rei longe felicissima. Ex his duae caput extulere: *Mennonitarum* altera, seu *Anabaptistarum*; altera *Socinianorum*, qui antea *Unitarii* dicebantur. *Anabaptistae* quidem longe ante hanc aetatem orti; sed sub initia Reformationis in lucem progressi, *non infantes, sed adultos* tantum *baptismo* christiano *tingendos* esse, docuere. Tum vero, quod magistratibus infesti rem publicam turbarent, et fanatico furore incensi essent, multa per Germaniam, Belgium et alias regiones passi sunt. *Rusticis* certe *rebellibus* a. MDXXIV. iuncti erant in Germania, ibidemque *Monasteriense bellum* a. MDXXXIII. concitarunt. Mox *Menno Simonis* Frisius, qui usque ad a. MDLXI. vixit, sectae rationes melius composuit; ut adeo ab eius tempore pacatas sedes inter *Batavos, Anglos* et *Germanos* acceperit.

Prae-

Praeter dogma, de quo dictum est, etiam in eo a reliquis Christianis discedunt *Anabaptistae*, quod magistratus aegre tolerant; bella autem, iusiurandum et supplicia capitalia prorsus repudiant, et e solis sanctis constare volunt Christi Ecclesiam. Neque hic coetus viris doctis et ingeniosis caruit, quales inter ceteros *Anton. Dalenius* et *Iac. Fosterus* fuerunt. Sed idem ortis *dissidiis* in plures familias divisus est *)

*) *Herm. Schynii* Hist. Mennonitar. eiusdemque plenior Deductio. *Io. Bapt. Ottii* Annales Anabapt. *Arnoldi* Hist. haeresiol. P. II. L. XVI. De Monasteriensium Anabapt. Scriptt. apud *Schardium* et *Gerdes.* in Scrin. Antiquar. De *Dav. Georgio*, seu *Ioris*, *Arnold.* l. c. idemque de aliis *Fanaticis*.

§. XII.

Sociniani.

Unitarii quidem medio Seculo XVI. in *Polonia* orti sunt, nomen ex eo adepti, quod *unum Deum* credere se confirmarent, et alienos esse a reliquorum Christianorum de Trinitate divina sententia, quam negabant primis Christianismi professoribus cognitam fuisse. Idem dogma aliis in regionibus non pauci tum repudiabant, qui communi nomine *Antitrinitarii* dicuntur, in quibus et *Mich. Servetus*, Hispanus, fuit a. Seculi LIII. Genevae flammis traditus. Sed ad Polonos a. MDLXXIX. *Faustus Socinus*, Italus, accessit, et hanc formulam religionis princeps illic exornavit atque munivit. Hic *Photinianorum* fere veterum de *Christo* iudicium, *hominem* fuisse, sed divina virtute instructum, in vitam revocavit, omninoque *nihil religionis nomine recipiendum* esse tradidit, nisi, quod *ratio humana verum et certum* esse decernat. Itaque etiam *errare* eos, qui *satisfactum Deo pro peccatis hominum morte Christi* existima-

marent. Philosophabatur cum suis de religione christiana, et de morum doctrina satis severe praecipiebat. Florentissimae erant res *Socinianorum* in Polonia ad a. usque MDCXXXVIII. quo *Racoviana* Ecclesia, sedes eorum primaria, ipsis erepta est: annis autem XX. post, etiam omni Polonia excedere iussi sunt. Ab eo tempore maxime in *Transilvania* scita sua publice propagarunt; sed et aliis locis partim tectiores, partim aperte nostra aetate commendarunt sententias suas. Nobiliores ex hoc coetu, ingenio, doctrina et scriptis, censentur post *Socinum*, *Io. Crellius*, *Io. Volkelius*, *Andreas Wissovatius*, et plures alii *).

*) Scriptt. Socinianor. domestici; *Christoph Sandii* Biblioth. Anti-Trinitarior. et *Stanisl. Lubienecii* Hist. Reformat. Polon. Adde Bibliothecam FF. Polonorum, et Catechismum Racoviensem. E reliquis: *Fr. Sam. Bockii* Hist. Anti-Trinitarior. maxime Socinianismi et Socinianor. *G. G. Zeltneri* Historia Crypto-Socin. Altorfini. *Moshemius* de vita Serveti libro germ. *Markos*, Vnitar. Claudiop.

§. VIII.

Religio Christ. oppugnata a Deistis.

Eamdem denique libertatem, quae religionem christianam restituerat, ad eam penitus evertendam inservire sibi plurimi, inprimis a medio Sec. XVIII. inter ipsos Christianos voluerunt. Nam inde ab *Eduardo Herberto Cherburio*, et *Thoma Hobbio*, (vulgo *Hobbesio*,) philosophis Anglobritannis, permulti in eadem gente reperti sunt, *qui fidem christianam nec divinae originis* esse, *neque necessariam*, imo *ne veram quidem* magna sui parte, contenderent, solaque *religione* omnium *mortalium mentibus et animis infixa* quam naturalem et rationalem iactabant, *contentos* esse iuberent. Quod cum nonnulli ridendo et ludendo

in sacras litteras ac doctores christianos ostendere instituissent, in his ipse fere *Schaftesburius* Comes, vir ingeniosissimus: alii a Seculi huius nostri exordio, doctrinae christianae fundamenta gravioribus machinis quassare studuerunt, ut *Anton. Collinsius*, *Matthaeus Tindalius*, *Thomas Woolstonus*, *Bern. Mandevillius*, *Henricus* Vicecomes *Bolingbrokius*, *Davides Humius*, et multo plures: sed vel minus clari, vel superiorum in plerisque imitatores. Omnes autem ex hoc genere *Deistae* seu *Naturalistae* dicti sunt. Migravit haec audacia ex Anglia in Bataviam, Galliam, Germaniam, et non paucos in fidei christianae professione labefactavit: praesertim cum multis hac aetate placuerit indigna sententia, ipsas de religione quaestiones iocando et adsperso sale satyrico confici posse. Neque tamen pro multitudine et calliditate aggredientium hanc religionem, detrimenta cepit. Nam armis idoneis ad eam defendendam ita pugnatum est post *Grotium*, ab *Abbadio*, *Leckio*, *Dittono*, *Sherlokio*, *Lelando*, *Lardnero*, *Oleario*, *Turretino*, *Nösselto*, *Lessio*, aliis, ut res omnis in salutem christiani dogmatis, quoad sacris litteris continetur, verterit *).

*) *Cherburius* de Relig. Laici, de Relig. Gentilium, et pluribus libris; aliorum autem Anglorum scripta copiose enarrata a *Io. Lelando* in Adumbratione praecipuorum librorum Deisticor. germanice versa. De *Hobbesio Brucker.* Hist. crit. Phil. T. IV. P. II, *Fragmenta Guelpherbyt.* a *Lessingio* ed. et e a. *Döderleinio* confutata. Conf. *Walchii* et *Stoeckii* Hist Sec. XVIII. illius item Hist. relig. recentiss. T. II. III. cet. et alii Commentarii germanici eiusdem argumenti. Verae origines Deismi in Italia et Gallia quaerendae.

§. XIV.

Atheistae et Sceptici.

Maiora tamen his ausi sunt, qui omnem religionem et cultum Numinis evertere velle videbantur

tur. Quae accusatio post *Hobbesium* feriit inprimis *Benedictum de Spinoza*. Ex-Iudaeum apud Batavos, virum acutum et doctum, moribusque innocentibus, qui anno MDCLXXVII. e vita migravit. *Deum* enim *esse* ita *negavit*, ut eum *cum universo misceret*, neque praeter hoc aliam *substantiam* esse defenderet; sed omnia huius tantum modos esse, vel extensae, vel cogitantis. Ita *Pantheistarum* recentiorum ducem se praebuit, habuitque adseclas *Tolandum*, *Bulenvillerium*, *Passeranum*, *Edelmannum*, alios. Quo factum est, ut caussa Dei et religionis tanto fortius et felicius ageretur a quam plurimis, in his *Cudwortho*, *Clarkio* et *Wolfio* a). Fuerunt etiam, qui dubitandi quamdam scientiam malo animo crederentur inferre religioni. Certe *Petrus Baelius*, Professor Roterodamensis sub initia huius seculi, subtilitate cogitandi et doctrina praestans, beneque de litteris et libertate sentiendi meritus; sed *scepticum* agens, et astutarum difficultatum nectendarum artificem, docere conatus est, perpetuam *fidei christianae cum ratione pugnam* intercedere. Cui se magnum illud *Godofr. Guil. Leibnitii* ingenium opposuit, nec infeliciter inter alios *Pe. Crusazius* b). Est etiam fatendum, non paucos his postremis seculis in numero hostium religionis habitos esse, qui liberius placita Ecclesiae suae examinassent; inter theologos autem multos fuisse, qui christianae religionis speciem prae se ferentes tamen ad Deistarum opiniones delapsi essent.

a) *Spinozae* Tract. theolog. polit. et Opp. posthuma. Vitam *Colerus* scripsit, cui iungendus *Brucker*. l. c. *Baelius* in Lexico. *Buddei* Theses de Atheismo. *Walch*. Hist. controverss. extra Eccl. Euang. gestar. P. V. *Refutatio Spinozae*, quae falso dicitur, gallice edita a *Langleto* apud Batavos. Recentissimi de *Spin*. systemate libri, *Iacobi*, philosophi, aliorum.

b) Imago Baelii auctore *Moshemio* in Opusc. German. *Leibnit*. Theodicaea. *Crusazii* Examen Pyrrhonismi gallice scriptum, eiusque epitome germanica.

§. XV.

Historiae huius vniversae usus quidam praecipui.

Tot inter dissidia et certamina partim Christianorum, partim qui religionem eorum contemnunt, magis magisque intelligunt partium omnium homines, *in mediis de religione dissensionibus humanitatem tamen integram servandam esse*, posseque *de virtute et pietate* exercenda inter se *conspirare*, qui multis in quaestionibus diversa sequantur. Varios et egregios *fructus ex ipsis adversariorum doctrinae christianae scriptis* viri sapientes percipiunt. Patet etiam in dies clarius, restare non pauca *humani ingenii inventa* et ornamenta, rectius *a religione resecanda*. Omnis autem haec historia *religionis Christi* docet, eam cum *innumera et ingentia in orbem beneficia* contulerit, *longe plura* fuisse collaturam, si intemeratam et puram reliquissent homines; ei *commendandae* et *ad utilitatem* communem *transferendae* profuisse quidem *doctores* illius; sed his etiam tribuendum, quod minus, quam par est, cognita et amata sit a longe plurimis; denique *in eo statu* hodie versari *hanc religionem* hominum vitio, qui nec optimus sit, nec tristissimus.

TABVLA CHRONOLOGICA
PERIODI QUARTAE.

Epochae illius et vicissitudines nobiliores.

I. *Erasmus*, *Lutherus* et *Zwinglius*. *Doctrinae theologicae* et *religionis* ipsius *restauratio*, cum emen-

emendatione Ecclesiae eiusque *Doctorum* coniuncta. *Germania*, *Helvetia*, *Suecia*, *Dania*, *Magna Britannia*, *Belgium*, *Gallia*, aliae regiones, *Reformationis* luce collustratae. *Pax Augustana*. *Melanchthon*. *Flacius*. *Chemnitius*. *Gerhardus*. *Calvinus*. *Beza*. *Amyraldus*. *Libertas ingeniorum*, et *litterarum* omnium summi honores. *Iura Principp. Christ.* restituta. *Carolus V*. *Fridericus Sapiens*. *Iohannes Constans*. *Gustavus M*. *Pontiff. Roman.* potestas vehementer debilitata. *Leo X*. *Adrianus VI*. *Clemens VII*. *Sixtus V*. *Iesuitae*. *Concil. Trident*. *PP. Oratorii*. *Sadoletus*. *Canus*. *Bellarminus*. *Sarpius*. *Richerius*. *Mennonitae*. *Sociniani*. *Arminiani*. *Bella religionis caussa vel praetextu* gesta. *Gustavus Adolphus*. *Grotius*. Ab a. MDXX — MDCXLVIII.

II. Pax *Westphalica*, *Calixtus* et *Iansenistae*. *Iura Protestantium* in Germania *confirmata* et aucta. *Reconciliandorum* inter se *Christianorum* studia. *Dissidia* in coetibus eorum plurima. *Pontiff. Ro.* auctoritas denuo imminuta. *Iesuitarum* lites. *Legationes sacrae* ad gentiles. Controversiae *Syncretisticae* et *Pietisticae*. *Aristotelicae philosophiae* imperium nutans. *Reformatorum in Gallia* calamitas. *Relig. christiana* oppugnata. *Quackeri*. *Christina*. *Fridericus Guilelmus*. *Leopoldus* Imp. *Ludovicus XIV*. *Guilelmus III*. *Innocentius X. XI.* et *XII*. *Launoius*. *Bossuetus*. *Dallaeus*. *Claudius*. *Geierus*. *Cherburius*. *Hobbius*. *Spinoza*. Ab a. MDCXLVIII — MDCC.

III. *Clemens XI*. *Spenerus*, *Baelius* et *Thomasius*. Languentis *potentiae Pontificiae* ultimae minae. *Reformatio Eccles. Euangelicae*. *Libertas sentiendi* et *philosophandi* amplior restituta apud *Protestt.* quaedam et apud *Pontificios*. *Litterarum theologg.* nova incrementa. *Modera-*

tio

tio et *ingeniosa licentia* in rebus ad *religionem* pertinentibus. *Iesuitarum* Ordo sublatus. *Herrnhuthiani*. *Deistarum* et *Pantheistarum* studia. *Iosephus I.* et *II.* Impp. *Benedictus XIV.* et *Clemens XIV. Pius VI.* Ditionis Pontif. ciuilis iacturae. *Rich. Simonius. Febronius. Pfaffius. Moshemius. Baumgartenius. Ernesti. Schultensius. Sackius. Spangenbergius Tolandus. Collinsius. Humius.* Ab a. MDCC—MDCCLXXXXVI.

A. C.
1517 *Maximilianus* Imp. *Franciscus* I. *Henricus* VIII. *Christianus* II. *Fridericus Sapiens. Leo* X. *Reuchlinus. Erasmus. Lutherus. Zwinglius. Tezelius. Indulgentiae* Pontiff. oppugnatae a *Luthero.*
1518 *Caietanus. Iac. Faber. Stapul.*
1519 *Maximil.* I. mors. *Carolus* V. *Disputatio Lipsica. Carolostadius. Eccius. Samsoni Zwinglius* se opponit. *Olaus* et *Laurentius Petri*, Euangel. relig. primi in *Suecia* praecones.
1520 *Lutheri* secessio ab Eccl. Ro. Origg. *Eccl. Euangel.*
1521 Comitia *Wormatiens. Henricus* VIII. *Defensor. Fidei* dictus a Pontif. Mors *Leonis* X. *Schwenckfeldius.*
1522 *Adrianus* VI. *Reuchlinus* obit. *Versio N. Test. germanica Lutheri.*
1523 *Gustavus* I. *Frider.* I. *Centum Grauamina* Noribergg. *Adriani* VI. et *Ulr. Hutteni* mors. *Clemens* VII. Disputt. duae *Tigurinae.*
1524 *Io. Tausen Danis* relig. Euang. commendat. Lis *Sacramentaria. Io. Ludov. Vives.*
1525 *Frider.* Sap. obit. *Iohannes Constans. Saxoniae Electoral.* Reformatio. *Finis belli rusticor. Capucini.*

Foe-

A. C.
1526 *Foederis Euangelicorum* initia. *Hassiae* Reform. *Philippus* Magnan. *Laur. Anderson N. T. Suecice* vertit.
1527 *Clemens* VII. obsessus in exspoliata Urbe. *Sueciae* Reformatio.
1528 Patric. *Hamiltonus* crematus. *Bernens.* disput.
1529 Comitia *Spirens*. *Protestatio* Euangelicor. Colloquium *Marburg*.
1530 Comitia *Augustana*. *Confessio Aug.* et *Tetrapol.* *Confessio* V. liberar. civitt. superioris *Ungariae*.
1531 *Zwinglii* et *Oecolampadii* mors. Foedus *Smalcaldicum*.
1532 Pax relig. *Noriberg*. *Io. Constantis* mors. *Io. Fridericus* Magnan.
1533 *Henricus* VIII. caput *Eccl. Anglic.*
1534 *Christian.* III. *Daniae* et *Norveg.* Rex *Clementi* VII. succedit *Paullus* III. *Vergerius*.
1535 *Matth. Devai* in Ungaria labores pro restaur. relig.
1536 *Erasmus* obit. *Io. Calvinus*. *Dania* omnis *Reformationem* suscepit.
1537 Articuli *Smalcald.* *Iac. Faber Stapul.* mor.
1539 *Georgii* Sax. mors. *Henricus Pius*. *Misniae* et *Brandenburg*. Reformatio.
1540 *Budaei* mors. *Iesuitarum* ortus.
1541 *Carolostad.* mor. *Contarenus* Card. *Protestantium* nomen.
1545 Concil. *Trident.* initium.
1546 *Lutheri* mors Bellum *Smalcald.*
1547 Capti *Io. Frid.* Saxo, et *Philipp.* Hassus. *Henrici* VIII. *Franc.* I. *Iac. Sadoleti* et Casp. *Borneri* mors. *Eduard* VI.
1548 *Interim* August mox et *Lipsiense*.
1549 Controv. *Osiandrina* et *Adiaphorist.*

Bucer

A.C.	
1551	*Bucerus* mor. *Io. Knoxus*, *Scotiae* Reformator.
1552	Transactio *Passaviensis*.
1553	*Eduardi* VI. Angl. Reg. *Mauritii* Elect. Sax. et *Georgii* Pr. Anhalt. mors. *Maria* R. Angliae *Protestantes* necat. Regin. *Polus*. Io. a *Lasco*. *Serveti* supplicium.
1555	Pax *Augustana*. *Ridleius* et *Latimerus* exusti.
1556	*Cranmerus* exustus. *Ignat.* de *Loiola* et *Dav. Ioris* obeunt.
1558	*Ferdinandus* I. *Caroli* V. *Mariae* et R. *Poli* mors. *Elisabetha*. Reformatio *Angliae*. *Matth. Parkerus*. Acad. *Ienensis* et *Genevensis*. Lis G. *Maioris*. *Io. Bugenhagen* mor.
1560	Mors *Gustavi* I. *Melanchthonis* et *Cani*. Reformatio *Scotiae*. Lis *Synergist.* et *Flaciana*.
1561	Colloquium *Possiac*. *Beza*. *Menno* Simonis obit.
1562	*Belli* intestini *Francogall.* initium.
1563	Concil. *Trident*. finis. *Castellio* mor.
1564	*Maximil.* II. *Calvinus* obit.
1565	*Guil. Farelli* mors.
1566	*Cassandri* mors. G. *Wicelius* I. *Camerarius*. *Pius* V. *Palearius*.
1567	*Philippi* II. in *Belgas* saevitia. *Baius*. Patres *Oratorii*.
1570	*Io. Brentius* mor. Consensus *Sendomir*.
1571	Confessio *Belgica*. *Philippistarum* in Saxonia motus. Cl. *Espencaeus* mor. Andr. *Masius*.
1572	Laniena *Parisiensis*. Fr. *Balduinus*. *Gregor.* XIII. *Georg. Knoxi* mors.
1575	*Flacii* et *Bullingeri* mors. Acad. *Lugduno*-Batava.

Rudol-

A. C.	
1576	*Rudolph.* II. Acad. *Helmstad.*
1577	Formula *Concordiae.*
1579	*Socinus* in Polonia.
1580	Liber *Concordiae.*
1581	Acad. *Altorfina.*
1582	Mors *Georg. Buchanani.*
1585	*Sixtus* V
1586	*Augusti* Elect. Sax. et *Chemitii* mors.
1587	*Philippistar.* novi motus in Saxonia.
1588	*Huberi* et *Molinae* controversia.
1591	*Christ.* I. Elect. Sax. mors. *Crypto-Calvinistae* oppressi.
1592	*Clemens* VIII. Mors *Ioh.* III. Reg. Suec. *Whitakerus.*
1597	Congregg. de *Auxiliis Gratiae.*
1588	Edictum *Nannetense.*
1600	*Chytraeus.* Aeg. *Hunnius Hutterus. Brunus.*
1601	Colloquium *Ratisbon.*
1602	*Fr. Iunii* mors.
1603	Mors *Elisabethae*, cui succedit *Iacobus* I. *Sigismundus Sueciae* throno deiectus.
1604	*Mauritius* Hassus ad *Reformatos* transit. *F. Socini* mors.
1605	*Beza* et *Baronius* obeunt. Coniuratio *pulveraria.*
1606	*Paulli* V. cum *Venetis* controversia. *Sarpius.* *Bellarminus.* Pax relig. *Vindobon.* concessa *Ungariae.*
1609	*Arminius* obit. *Gomarus.*
1611	B. *Arias Montanus* mor.
1612	*Matthias* Imp.
1613	PP. *Orator.* Iesu. *Berullus.*
1614	*Io. Sigismund.* Elect. Brandenburg. *Reformatis* accedit.
1615	Vexatio Christt. *Iapanensis.*
1618	Motus *Bohemici.* Bellum *tricennale.* M. Anton. de *Dominis.* Synodus *Dordrac.* *Episcopius.*

Ferdi-

A. C.
1619 *Ferdinandus* II. *Collegiantes*.
1620 Congreg. S. *Mauri*.
1621 *Io. Arndius* et *Dan. Chamierius* mor. *Rathmann.* controversia.
1622 *Congregatio* de *propag. fide*.
1623 *Sarpii* mors.
1624 *Iac. Boehmius*.
1627 *Collegium* de *propag. fide*.
1629 Edictum *Restitutionis*. *Vaninii* supplicum.
1630 *Gust. Adolphus* in Germania. *Richelius* Card. *Io. Crellius*.
1631 Synodus *Carenton.* Colloquium *Lipsiense*.
1633 *Richerii* mors.
1634 *Amyraldi* controversia.
1635 Pax *Pragensis*. *Hoë* ab *Hohenegg*.
1637 *Io. Gerhardi* obitus. *Cyrilli Lucaris* supplicium.
1638 *Iansenius* moritur.
1639 *Voetius Cartesianam* philosophiam oppugnat.
1640 *Syncretistica* controv. aliaque cum *Placaeo*. *Independentes*.
1641 Controversia *Urbani* VIII. cum *Lusitanis*. *Protestt.* in *Hibernia* caesi.
1643 *Confessio Eccl. Graec.* orthod.
1645 *Grotii* mors. Georg. *Calixtus*. *Calovius*. *Hülsemannus*. Colloquium *Thoruniense*. *G. I. Vossius*. *F. Spanhemius* pater.
1647 *Quackeri* auctore *Foxo*.
1648 Pax *Westphalica*. *Christina* Reg. Sueciae. *Conringius*. *Episcopp.* in *Anglia* interitus. *Cherburius*.
1650 *Sirmondus*. *Petavius*. *Marca*. *Pe. Molinaeus*. *Usserius*. *Hammondus*. *Curcellaeus*.

V.

A. C.

1653 V. Proposs. *Iansenii* damnatae.

1654 *Christina* R. Sueciae ad *sacra Romana* transit.

1655 *Peyrerii* Praeadamita.

1656 *Calixti* et *Glassii* mors.

1658 *Sociniani* Polonia eiecti.

1660 *Dallaeus*. *Bochartus*. *Buxtorfius*. *Coccejus*. *Voetius*. *Waltonus*. *Hottingerus*. *Episcopor*. in *Anglia* restitutio. *Latitudinarii*

1662 *Alex*. VII. cum *Ludov*. XIV. lis.

1663 Congreg. *Sacerdott*. a *Missionib*. *exteris*.

1664 Abbas *Trappensis*.

1667 Societas *Angl*. de *propag*. *fide*.

1669 Pax *Clementis* IX.

1670 *Speneri* Collegia Pietatis. *Lightfootus*. *Pearsonius*. *Labadius*. *Schurmannia*. *Duraeus*.

1671 *Protestt*. in *Ungaria* vexatio.

1675 *Formula Consensus*.

1677 *Io*. *Launoius* et *Spinoza* obeunt.

1678 Lis *Ludov*. XIV. cum *Innocent*. XI. de iure *Regaliae*. *Piaristae*. *Wissovatius*.

1679 *Hobbii* mors. *Maimburgius*.

1680 *M*. *Geieri* obitus. *Musaeus*. *C*. *Kortholtus*. *Io*. Comes *Roffensis*. *Chph*. *Sandius*. *Burinonia* et *Poiretus*.

1681 Lites *Quietisticae*. *Molinos*.

1682 *Cleri Gallicani IV*. propositiones.

1685 Edictum *Nannet*. sublatum.

1686 *Roellianae* lites.

1687 *Innoc*. *XI*. cum *Ludov*. *XIV*. lis de iure *asyli*.

1688 *Iacobus II*. solio deiectus a *Guil*. *Arausion*. *Gilb*. *Burnetus*.

Origg.

A. C.

1689 Origg. nominis *Pietistarum*

1691 *Innocent. XII.* P. Ro. *Beckeri* controversia.

1692 Academia *Halensis*. V. L. *Seckendorfii* mors. Missio *Sinica* florens.

1694 *Io. Tillotsonii* mors. A. *Pfeiferus*.

1695 *Spenerus* oppugnatus. *Baelii* Lexicon hist. criticum.

1697 *Frid. August.* Elector Sax. *Ro. Cathol.* *Fenelonii* cum *Bossueto* controversia.

1698 Lis *Terministica*. *Ittigius*. *Reckenbergius*.

1699 Congreg. de litib. *Mission. Sinens.*

1700 *Clemens XI. Dippelius.*

1701 *F. Spanhemius* filius mor. *Tolandus* et *Collinsius*.

1704 Consilia *pacis* inter *Protestt.* *Lochius*, *Norisius* et *Bossuetus* obeunt. *Mabillonius*.

1705 *Speneri* mors. *Witsius*. *Braunius*, *Iurieus*. *Turnonius* apud *Sinenses*. Legatio *Tranquebarica*. *Frider. IV.*

1706 *Petri Baelii* mors.

1708 *Clementis XI. exercitus Iosepho* I. oppositus. *Prophetae* in *Anglia*.

1710 *God. Olearius* *Bullus*. *Peterseninus*.

1712 *Rich. Simonis* et *I. F. Mayerus* mor. *Caveus*. *Limborchius*, *Cattenburgius*.

1713 Bulla *Unigenitus*. *Huctius*. *Schaftesburii* mors.

1714 Lis de *Monarchia Sicula*. *G. Arnoldus* obit.

1716 *Leibnitii* mors. *Nat. Alexander*.

1717 Patriarch. *Ulyssiponensis*. *Appellantes* in *Francia*.

1718 Lis de *Form. Consensus*. *I. G. Ianus*. *I. A. Schmidius*. *A. H. Franckius*. *Blaceta*.

Pinii

A. C.

1719 *Pinii* et *Quesnelli* obitus.

1720 Camp. *Vitringa.* Ben. *Pictetus.* *Iac. Infantius.* *Pridosius.* *Abbadius.* Lis super *Bichio.* *Wolfianae* lites. *Harduinus.*

1721 *Clementis XI.* mors. *Egedius* in *Grönlandia.*

1722 *Canghii* Sinens. mors. *Herrnhuthi* natales. *Zinzendorfius* Comes *Tolandus* et *Bulenvillerus* mor.

1724 *Benedictus* XIII. *Coscia.* *Thorunensis* tragoedia.

1727 *Fr. Paris* thaumaturgus. *Danzius* mor.

1728 Ad *Berndius.*

1729 *Methodistarum* initia. *Io. Fabricii,* *I. F. Buddei.* *G. Wernsdorfii* mors. *Lampius*, *Markius*, *Saurinus*, *S. Clarkius et Collinsius* mor.

1730 *Clemens* XII. *Callenbergii* Institutum Iud. *Martenius* *Montefalconius.*

1731 Euangelicor. *Salisburgg.* migratio. *Procopovitius* et *Iavorskius.*

1733 *Woolstonus.* *Tindalius.* *Mandevilla.* *Passeranius.* *I. H. Michaelis.*

1735 *Werthemens. versio* Pentat. *I. I. Rambachius* mor. *Derhamus.* *Waterlandus.*

1736 *I. Alb. Fabricius*, *I. Clericus* et Theophan. *Procopovitius* mor. *Turretinus* et *Werenfelsius.*

1738 *Tibetana* Mission. *Zeltneri*, *I. Chph. Wolfii* et *Bellosobrii* mors. *Warburtonus*.

1740 Carolus VI. obit. *Benedictus* XIV. P. Ro. *Potterus.* Controversia *Salisburg.* de *cultu sanctor.*

1741 *Reinbeckius* mor. *Burgius.*

Caro-

A.C.

1742 *Carolus* VII.

1743 *Vicariatus Vratislav.*

1745 *Franciscus* I. *Festor. numerus* a *Bened.* XIV. imminutus. *E. S. Cyprianus* et *Ioach. Langius* mor. *Weismannus. Wattsius.*

1747 *Middletoni* controversia.

1748 *Sam. Crellius* obit. Amstelod.

1749 *V. E. Loescheri* et *Muratorii* mors.

1750 Mors *Alb. Schultensii* et *Elsneri. Bengelius Canzius Boernerus. Doddridgius. Loenius. Iac. Fosterus.*

1751 Patriarchat. *Aquileiens.* sublatus. *Schuberti* controv. *Stakhusii* mors. *Buttlerus. Sherlokius. Hoadlius. Rothfischerus.*

1753 *Hubigantus. Whistonus mor.*

1754 *C. Wolfii, I. I. Wetstenii* et *Bolingbrokii* mors.

1755 *Quirini, Deylingii,* et *Moshemii* obitus.

1756 *Ol. Celsii* mors.

1757 *S. I. Baumgartenius, P. E. Iablonskius* et *Calmetus mor.*

1758 Mors *Benedicti* XIV. *Clemens* XIII.

1759 *Iesuitae* eiecti e *Lusitania,* et *Daemones* e *Kemberga.*

1760 *Clem.* XIII. lit cum *Lusitanis* et *Ianuensib. Pfaffii* et *Zinzendorfii* mors. *Bensonius. Lelandus. Lardnerus.*

1761 *Passioneus* et *Orsius* mor. *Heilmanni* Compend. Theol. dogm.

1762 *Iesuitar.* Soc. in *Francia* sublata.

1763 *Febronius,* seu I. Nic. *Honthemius.*

1764 *Crusii* Hypomn. ad *Theol. prophet.* et *monologia. Telleri* liber *dogmat. fidei christ. Basedov.* controv. *C. B. Michaelis* et *C. A. Heumanni* mors.

1765 Bulla *Apostolicum.*

1766 Controv. de XXXIX. Artic. *Eccl. Angl.*

1767 *Iesuitarum* in *Hispania* interitus. *Dissiden-*

A. C.

dentibus in *Polonia* iura sua reddita. *I. Gottl. Carpzovius* et *Edelmannus* mor.

1768 *Clem.* XIII. *Breve* adversus Ducem *Parmensem.*

1769 *Clementi* XIII. succed. *Clem.* XIV. Ed. *Young* et *Anton. Genovesi* mor.

1770 *Iac. Bruckerus* et *G. Whitefield* obit. *A. F. Kollar.*

1771 Controv. de *Canone Script S.*

1773 Ordo *Iesuitarum* exstinctus a *Clem.* XIV.

1775 *Pius* VI. *C. A. Crusius* et *I. G. Walchius* mor. *Gassneri* praestigiae.

1776 *Dav. Humii* mors.

1777 *G. T. Zachariae* obit.

1778 *A. Halleri, Voltarii* et *C. G. Thalemanni* mors. *Febronii* palinodi a. *Isenbiel.*

1779 *G. D. Kypke. Guil. Warburton* et *Georg* Baro de *Spangenberg* obeunt.

1780 *Maria Theresia* mor. *Iosephus* II. Imp. in terris Austr. succedit. *Döderleinii* Instit. theol. christ.

1781 *Iosephi* II. de libertate relig., tollendis coenobiis et minuenda potestate Pontif. Ro. leges hoc et seqq. annis. Mors Io. Aug. *Ernesti et G. E. Lessingii.*

1782 *Pius* VI. *Vindobonae.*

1783 Beni. *Kennicott* obit.

1784 *C. G. F. Walchii* mors.

1785 *Steph. Rautenstrauch* obitus.

1786 *Fridericus* II. obit. *Nuncius* Pontif. Ro. in *Bavaria.* Congressus *Ems.* A. F. G. *Sackii* mors. *Synodus Pistoriensis.*

1787 *Rob. Lowth.* et *Herm. Venema* mor.

1788 *G. I. Zollikoferi* mors. *Wöllnerus. Edictum Reg. Prussiae* de religione.

1789 *Io. Andr. Crameri, Io. Frid. Guil. Ierusalemi, Io. Pe Milleri, Io. Iac. Bossarti* et *Iac. Verneti* obitus. *Mori* Epitome

Theol.

A. C.

Theol. christ. Rerum civilium et ecclesiast. in *Gallia* eversio. Bona ecclesiast. dissipata.

1790 *Iosephi* II. mors. *Leopoldus* II. *Avenionensis Comitatus* Papae ademtus. *Monasteria* omnia in Francogallia sublata. Io. Nic. ab *Hontheim* et *I. Bern. Basedow* obeunt.

1791 *Io. Sal. Semler, Io. Dav. Michaelis, Io. Aug. Dathe, Io. Beni. Koppe, Io. Wesley* mor. *Patriarchat. Ulyssip.* sublatus. Sacerdotum in Gallia iuramentum.

1792 *Leopoldi* II. *Aug. Gottl. Spangenbergii, Sam. Frid. Nath. Mori, Io. Chph. Döderleinii* et *Carol. Frid. Bahrdtii* mors.

1793 Mors *Martini Gerberti* et *Carol. Bonneti. Ludovicus* XVI. rex Galliae supplicio affectus. Festum rationis humanae in Gallia.

1795 *Kantianae* seu criticae *Philosophiae* in omni Theologia effectus.

1797 *Gothofr. Less.* et Dominic. de *Brentano* mor.

1799 *Pius* VI. mor. in Gallia.

1800 *Buonapartus* Consul primar. *Pius* VII. Pax in Bavaria.

1801 *Concordatum Pii* VII. cum Ecclesia Gallica. Pax Lunevill. Opus indemnisat. in Germania aggressum.

1802 *Abbatiae* et *Monasteria Germanica* pleraque exstincta. *Relig. Christ.* restaurata in *Gallia.*

1803 *Io. Bened. Carpzovii* Helmst. mors. Conclusum Deputationis Imperii.

1804 *Io. Ioach. Spaldingii, Guil. Abrah. Telleri* et *Imman. Kantii* mors.

1805 *Gottl. Christ. Storr* mor. Tubingae.

1806 Bellum in Germania. *Burbonidae* ex Hispa-

A.C.	
	spania pulsi. Sublata Inquisitio, coenobia clausa.
1807	*Io. Aug. Nösselt* et *Georg. Frid. Seiler* obeunt.
1808	Vnivers. Rintel. et Helmstad. sublatae.
1809	Patrimonium *Papae* temporale sublatum. *Pias* VII. exul.
1811	Concilium Eccles. gallic. Parisiense.
1813	Praelium Lipsiense. Societates bibliis distribuendis dicatae, in Anglia natae, in Germania frequentes.
1814	Rerum civilium et ecclesiast. in Gallia restitutio. *Burbonidae* reduces. *Papa* redux in sedem. Congressus Vindobonensis. Foedus Germanicum. Restituta Inquisitio in Hispania, regn. Rege Ferd. VII.
1815	Ordo Iesuitarum restitutus.
1816	Foedus sacrum.
1817	Sed. Rom. Concordatum cum Gallia et Bavaria. Protestantium Festum Seculare.

[illegible] [illegible]

1) Leo X † 1521

2) Hadrian VI † 1522

3) Clemens VII

TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ([illegible]) [illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]! [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ([illegible]) [illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]

